DE SANCTORVM inuocatione Liber:

IN QVO ORTHODOXORVM Patrum testimonijs asseritur, Apostolicā esse traditionem, Sanctorum animas post mortem in cælesti gloria Angelis esse similes, nostra non ignorare, pro nobis orare, à Deo exaudiri, & à nobis inuocandos.

IOANNE GARETIO D. Augustini Canonico, Auctore longè diligentissimo.


Ad Reuerendum in Christo Patrem D. GISLENVM, D. Abbatem Sancti Petri Gandauensis.

Apocalypsis 13.

Aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos qui in cælo habitant.

GANDAVI,
Excudebat Gislenus Manilius/ Typographus: Anno Domini 1570.
Cum Gratia Regiæ Maiest. Sig. I. vand Aa. & I. de Perre.





Opus iſtud DE SANCTORVM HONORE ET INVOCATIONE dignissimum profecto eſt quod imprimatur. Cunerus Petri à Brouwerſhauē, Epiſcopus Leeuwardienſis. 23. Auguſt. 1568.

Reuerendo in Christo patri & amplissimo D. Dño Gisleno Timmermanno Abbati insignis Monasterij S. Petri Gandaui, vigilantissimo Flandriæ Primati &c. Ioannes Garetius, à confessionibus, sacris virginibus Monasterij Filiarum Dei. S.P.D.



On potui hactenus satis admirari P. R. quid potissimum in mentem venerit nouatoribus fidei, cur inter cæteras fidei nostræ partes, hanc etiam Apostolicā traditionem (Sanctos videlicet qui cū Christo æternis iam gaudijs potiuntur, nostra vota precesque non ignorare, pro nobis apud Diuinam maiestatem intercedere, & multa nobis tā ad animæ quā corporis salutem spectantia, impetrare) tam fœdè atque indignè tractarint, tam multis conuitijs & calumnijs onerauerint, Denique tam abominandam Deo & hominibus perniciosam reddiderint: Cum tamen (mea quidem sententia) nulla in re alia, Dei immensa gloria, atque incredibilis erga salutem omnium hominum pietas magis declaretur nobisque ob oculos ponatur, cumq; eam vim & energiam habeat hæc doctrina Apostolica, vt pios omnes in fide Christiana confirmet, In spe longanimes & robustos efficiat, ac in Dei & proxi-

 mo-

morum charitate maxime accendat. Inſpiciamus quam aſtute Satanas per ſuos miniſtros id aggrediatur, quam pium in ſpeciem prætextum obtendat & quibus potiſsimum arietibus nitatur. Primo quidem fingunt hac re nos plurimum gloriæ mediatoris noſtri Ieſu Chriſti detrahere, Atq; illũ graui à nobis ex hac doctrina iniuria affici, & nos à creatore ad creaturas deficere. Deinde honorem aiunt ſoli Deo debitum, à nobis non ſine graui ſacrilegio ſanctis tribui. Adhæc fruſtra à nobis Sanctorum interceſsiones implorari, quippe qui à nobis ſeiuncti nec deſideria votaq; noſtra ſcire, nec preces noſtras audire queant. Poſtremo Sanctos pro nobis orare, aut Deum aliquid illorũ tribuere precibus negant, ideoque ab hominibus non eſſe inuocandos pertinaciter aſſeuerant. Hæ ſunt eorum ficulnæ rationes & prorſus friuolæ, quas refellere ac funditus peſſundare non magni eſt laboris. Tragicè admodũ vociferantur, ſeſe gloriæ Chriſti aſſerendæ Zelo motos præter hãc nihil in hoc negotio ſpectare. Plauſibilis ſanè fucus, & qui merito ſi res ita ſe haberet, mouere poſſet animos pietati deditos, ſed quam falſa ſit horum opinio ex his quæ dicturi ſumus ſatis (vt ſpero) patebit. Sententia eſt omnium rectè ſentientium, Bonum hoc à ſua habere natura, quod ſui ipſius (vt ita loquar) ſit diffuſiuum, & quo res aliqua melior ſit, eo plus ſeſe in omnes diffundat. Itaq; cum ipſe Deus ſit ſummum bonum omniumq; bono

rum

rum fons & origo, quo eius bonitas latius ſe extē dit & in creaturas largius diffunditur ad noſtræ ſalutis auxilium & adiumentū, eo ſane efficacius illius maieſtatem, gloriam, pietatem & gratiā ſentire poſſumus. Quod verò tantopere Zelum aſſerendæ gloriæ Dei prætexuerunt in hac parte fidei noſtræ Catholicæ oppugnāda, quod ſcilicet male illos haberet, quod nos relicto Chriſto vnico mediatore quæreremus ſalutem noſtram in creaturis, vel quaſi illis aſſcriberemus & accepta ferrem' quę à Deo nobis ſunt donata, & creaturā pro creatore coleremus, merum eſt diaboli figmentum. Eadē opera poſſent damnare omnes qui in morbis aut ęgritudine conſtituti ad herbas & pharmaca confugiunt, tanquam etiā relicto Deo & Chriſto ad creaturas confugerent & creatore deſerto à rebus conditis & creatis ſalutem ſperarent, eaque re Deum honore ſuo debito priuarent, quod quā abſurdum ſit nemo ignorat. Nullum equidē opinor tam ſtolidum eſſe quin ſi quid opis aut releuaminis ex viribus herbarum aut efficacia pharmacorum cōſequutus fuerit, admiretur plurimū ea in re Dei immenſam bonitatem, clementiam & pietatem qui non per ſuam maieſtatem tantū, non per Angelos ſolum aut homines, ſed etiam per herbas & cæteras creaturas opem mortalibus præſtet, hoc eſt non ſolum virtutem ſuam diffundat in Angelos & homines, non ſolis Angelis & hominibus communicet, ſed & vilioribus (ſi mo-

do quid in Dei operibus vile dicendum sit)creaturis. Itaque sicuti Diuina maiestas eiusq; immensa bonitas eo magis elucessit, quo sese ad saluté corporum creaturis magis communicat, Sic quoque in hoc nostro negotio tantum abest vt gloria Dei extenuetur aut obscuretur, si nobis salutaria tam animæ quam corpori præstet per preces ac sanctorum intercessiones,vt etiam hinc magis inclarescat & omnibus manifestior reddatur. Hoc ita se habere,videlicet quod ea quę Sanctorum per Dei gratiam nobis orationibus præstantur, non ipsis sanctis sed Christo autori asscribantur illique soli honor & gloria attribuatur,vel ex Respõsorio (vt vocant)illo,quod in sanctorũ festiuitatibus Martyrum canitur,satis claret. Te mirabilem in Sanctis tuis Rex regum collaudamus: tua opera Christe,tua miracula prædicamus: A quo quasi lucidissimo fonte,omne quod in Sanctis est virtutis, dimanauit. Tua quippe est, virtus & fortitudo plebis tuæ. Tu benedicendus,tu laudandus in illis es. Similiter & de Sanctis Euangelistis quoq; omné gloriam Deo asscribens in hæc verba clamans erumpit, Tua sunt hæc Christe opera,qui Sanctos tuos ita glorificas,hinc laus hinc gloria tibi Christe resonet in sæcula. Facile declarat Ecclesia his paucis verbis,an Deum honore suo spolient Sanctorũ preces pro nobis, & nostra ad illos supplex oratio, cum sane hinc Dei gloria illustrior reddatur, & clarius ab omnibus mortalibus cognoscatur,

tur,

tur, vtpote cum omnia quæ nobis ſanctorum pre cibus contingunt ſoli Deo aſſcribantur, & inde il li gloria tribuatur. Non tamen diffiteri poſſum quin ſuperſtitio multa, Epiſcoporum negligentia ac Paſtorum oſcitantia irrepſerit inter homines, ſed hanc perpetuo deteſtata eſt ac deteſtatur Catholica Chriſti Eccleſia, vt ſatis ſuis reformationibus oſtendit ſacra Tridentina Synodus. Neq; hic aut excuſare vulgi fidem aut mores volo, neq; ſuperſtitionem oppugnare hic eſt animus, ſed oſtendere cupio Eccleſiæ fidem circa Sanctorum cultũ & inuocationem, ſanam & veram eſſe doctrinã, neq; hac in re quicquam gloriæ Dei derogari aut detrahi verum eam magis etiam illuſtrari. Non ergo hic prætextus vrit Satanam, qui per ſuos miniſtros ac organa tantopere fidem hanc euertere prorſus conatur, latet ſanè alius anguis in herba, licet gloria Dei occultetur iſtud venenum. Nulli dubiũ eſt vero ac pio Chriſtiano, Apoſtatas hoſce Diaboli eſſe miniſtros & Antichriſti certiſsimos præcurſores, ideoque quicquid agunt, ſcribũt aut loquuntur, omnia hæc agere ad præſcriptum ſui magiſtri. Et licet miniſtri ſint principis tenebrarũ tamen vt facilius infirmis in fide & incautis, fucis ſuis imponant, in Angelos ſe lucis tranſfigurant, & fingentes ſe miro aſſerendæ gloriæ Chriſti & ab iniuria illi facta vindicandi Zelo ardere, huiuſmo di pijs in ſpeciem verbis, animi conceptum tegũt, ſed longe aliorſum animus illorũ ſpectat, & alius

 eſt

est scrupus occultus qui tam ipsum Satanam quã eius ministros grauiter torquet. Etenim si res hęc tam impia foret ac execranda, si tanta mediatori vnico Christo fieret iniuria, non sane Satanas totis hanc viribus tam acriter oppugnaret, neq; huius ministri talem operam in hac re pessundanda & stirpitus euertenda nauarent, cũ perpetuo Christi gloriæ aduersetur Satanas atque ipsum imitẽtur qui sunt à parte ipsius. Verum è contrario omnem moueret lapidem vt hęc in Christum iniuria sarta tectaq; maneret. Quid verò illud sit quod sub hac ouina pelle lateat, paulo post dicemus.
Satis ergo spero ostendi orationes & Sanctorum pro nobis apud diuinam maiestatem intercessiones, & beneficia pro nobis à Deo impetrata ac nobis donata, nostras quoque ad illos pro huiusmodi ardentes preces, non obfuscare, sed magis Dei gloriam illustrare, non Christum suo honore & priuilegio spoliare, sed omnibus ea notiora fieri, cum ea omnia quæ nobis Deus per sanctos suos largiatur, agnoscamus & palam profiteamur, nos non à sanctis tanquam donatoribus hæc accipere sed à Deo nobis dari per sanctos, tanquam per instrumẽta quædam, vt caput Sanctorum Christus per sua membra glorificetur & honoretur. Quod palam profitetur Ecclesia cum in omnibus orationibus solennibus quas collectas vocat vbi Sanctorum orationibus quicquam populo fideli dari orauit, semper adijciat in fine clausulam hanc,

Per Dñm nostrum Iesum Christum &c. Videlicet agnoscens si quid nobis tribuatur per sanctorum intercessiones, id à Christo dari & illi soli acceptũ ferri. Quod vero qui carne soluti sunt & cũ Christo iam agunt, venerãdi à nobis sint, facilè quiuis intelliget, si animo suo infixerit, quæ sacræ literæ nos doceant de mutuo honore, quo alter alterum iubetur præuenire atq; afficere. Si eos iubemur honorare qui corpore isto misero & peccatis obnoxio adhuc grauantur, quid honoris putas illis à nobis esse tribuendum, qui licet sint cõmembra nostra, tamen ab hac ærumnosa vita absoluti cum Christo æterna fœlicitate potiuntur? Cur ab hominibus non essent honorandi, quos Deus ipse immenso in cœlis cumulauit honore? Si quis (inquit) mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus qui est in cœlis. An impiè nos facturos existimabimus, si imitatores extiterimus Dei patris? Honorandi igitur sunt plurimum, quia scriptura clamat illos esse diuinos, deiformes & homines plane deificatos, dum hic in terris vitam agerent sanctificati sunt per maxima illa & pretiosissima dona, quibus Deus pro sua miseratione eos ornare dignatus est. Post vitam verò hanc mortalem, sublimati sunt & exaltati ad solium gloriæ eius, tam ineffabiliter vnum effecti sunt cum Deo, vt nihil intus, nihil foris, nihil in natura, nihil appareat in operatione eorum, quã Dei gloria, Dei proprietas, maiestas & virtus. Et quis hoc digne ani-

mo poſſet cõprehendere, quis verbis eloqui? Non ſunt iam amici aut electi, aut vt Paulus dicit à lõgè aſpiciẽtes, ſed iam effecti domeſtici Dei, & ſpeculatores gloriæ maieſtatis eius, iam facti conformes & conſortes imaginis filij Dei: Neque iã amplius cohæredes Chriſti in ſpe, ſed poſſeſſores cum ipſo omnium bonorum quæ Dei ſunt. Vnũ ſunt cum Chriſto ſi ſtatum honoris illius ſpectemus, dicit ſiquidem, Volo pater vt illi quos dediſti mihi ſint mecum vt videant claritatem meam quã dediſti mihi. Et ego claritatem quam dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum ſicut & nos vnũ ſumus. Chriſtus poſt mortem illam ignominioſam crucis, clarificatus eſt à patre claritate quam habuit apud patrem priuſquam mundus fieret. Et hanc ſuam claritatem & gloriam dedit ſanctis, vt poſt illorum mortem ipſi ſint eodẽ loco vbi Chriſtus eſt, hoc eſt, in eodem ſtatu gloriæ. Volo (inquit) pater vt ibi ego ſum illic ſit & miniſter meus, id eſt, ad eundem admittatur gloriæ thronũ, ſic immortalis fiat, ſic impaſſibilis, beatus, fulgens, triũphás in gloria non iam humana ſed diuina, ſicuti ego. Si quis audire cupiat quomodo Sancti cũ Chriſto collocati ſint in vno eodemq; honoris loco, audiat Chriſti hac de re ſententiam. Qui vicerit dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici & ſedi cum patre meo in throno eius. Hæc cum ita ſeſe habeant quis hoſce honorandos eſſe non cenſeat, niſi qui prorſus inuideat illorum gloriæ

&

& fœlicitati quibus à Deo donati sunt? Quod verò nos irrideant irridendi ipsi maximè aut potius deplorandi, quod frustra Sanctorum intercessiones interpellamus, quippe qui à nobis seiuncti & in alia vita agentes intelligere nequeant aut vota nostra, aut audire preces nostras, ignorare videtur ineffabilem illam vnionem qua deus ipse sanctos sibi vniuit, coniunxit & diuinæ suæ naturæ participes effecit. Vt autem ea vnio bene ab omnibus intelligatur, diligenter consyderandus est ordo cęlestis illius Hierusalem ciuitatis Dei. Vnum sunt Deus, Christus & Sancti, veruntamen quodã ordine certo. Siquidem Deus fons & origo est, ex quo & per quem omnia, sicuti etiam Christus diuinæ suæ naturæ ratione: Ratione autem suæ naturę humanę licet minor sit Deo, tamen per vnionem illam hypostaticam factus est vnum cũ Deo. Tertio loco post Christum, existunt Sancti, veluti secundo geniti fratres Christi, cohęredes & vnum cum illo effecti, sicut membra vnum sunt cũ suo capite, idque communicatione eiusdem spiritus, eiusdemque voluntatis, adeoque vnum cũ Deo. Quia spiritus Dei est in ipsis, virtus quoque gloria omniaque quæ Dei sunt & Christi, ipsis sunt communia & communicata, per arctam illam & indissolubilem charitatem qua Deo coniunguntur. Ipsi præterea toti in Deo, haud secus quam carbo aliquis sit in igne, & ignis totus in carbone, simulque cum Christo eandem vnctionem, eandemq;

regiã

regiam maiestatem, quæ in ipso est possident, aliter tamen quam ipse Christus. Omnia tamen hęc habent ex gratia & misericordia, per mediatorem nostrum Christum Iesum, & ipsius meritum, vt Deus sit origo & fons omnium, omniumq; gloria, Christus vero mediator inter Deum & homines, caput Sanctorum atq; seruator. Et ne quis putet me hæc comminisci & ex proprio fingere cerebro, depromam ipsius Christi Iesu hæc asserentis verba. Rogat cœlestem patrem suum apud S. Euãgelistam Ioannem hunc in modum. Rogo pater vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint. Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, vt vnum sint, sicut & nos vnum sumus. Ego in eis & tu in me vt sint consummati in vnum & cognoscat mundus quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut & me dilexisti. Verba hæc Christi cœlesti consolatione plena, satis declarant Sanctos post hanc vitam non voluntate & amore vnum esse cum Christo, sed naturali vnione per gratiam illis communicatam & impertitam, vt quemadmodum Christus viuit per patrem, ita & Sancti viuant per Christũ, sintque conformes imaginis filij Dei, vt sit ipse primo genitus in multis fratribus, vtrique tamen tam ipse Christus quam sancti iuxta humanã naturam secundum omnium virium capacitatem, Deificati. Cum itaq; ex ipsius Christi verbis liquet Sanctos cum Deo vnitos ita esse, vt non solum voluntate

tate

tate & amore vnum cum eo ſint, ſed & natura ipſa, quid quæſo ignorare poſſunt quod vel ad Dei vel ad eorum gloriam pertinet? Quid eſt in diuina natura, quod non Sanctis Deus ipſe communicat, qui illos vnum cum ſeipſo effecit & diuinæ ſuæ naturæ participes reddidit? Eant nunc Antichriſti illi præcurſores, & ſimulent ſeſe quantum voluerint Chriſti velle gloriam aſſerere, cum ipſi Deo limites, non abſq; graui ſacrilegio præſcribere conentur, quos vltra, Sanctis non liceat quæ velit tribuere. Inſignes ſanè (ſi Dijs placet) aſſertores gloriæ Chriſti, qui illum arctare ita volunt vt pro ſua voluntate non liceat illi quæ velit & polliceatur explere. Sane quantum in ipſis eſt, vincula Chriſto inijciunt, ac Deo leges præſcribunt, & tamen venditāt ſe miro artificio pro aſſertoribus gloriæ Dei. Væ tibi ò Lucifer cum tuis, qui oblitus caſus tui, iterum vis aſcendere & ſimilis eſſe altiſſimo, & id quidem tectiori, ſed ſceleratiori ſuperbia. Male te habet, quod aperta via Deum ſede ſua extrudere nequiueris, nunc per inſidias & ſpecioſis titulis id conaris. Verum hac via nihil etiā efficies irrituſque futurus eſt omnis conatus tuus, Super aſpidem enim & Baſiliſcum ambulabit & conculcabit Leonem & Draconem. Porrò quibus tam impoſsibile & ἀδύνατον videtur, Sanctos in alia vita agentes & à nobis longo locorum interuallo diſiunctos, poſſe aut ſcire vota & deſyderia noſtra, aut audire preces noſtras, illi meminiſſe

deberent

deberent non minus hoc esse ἀδύνατον secundum naturam humanam, vt homo aliquis nosse posset quid agatur aut dicatur secretò & sine arbitris vbi non est præsens, idque loco longè remoto & procul ab ipso dissito, quam vt sancti in cœlo cognoscant quid nos hic agamus, aut ab illis petamus, & tamen diuina voluntate hoc contigisse, sacræ nos docent literæ. Scriptum est 4. libro Regũ cap. 5. Elisæum Prophetam scisse quid suus minister Giezi cum Naam principe militiæ Syriæ tractasset, quid cum eo locutus fuisset, tametsi præsens non fuerit, & ab illo loco vbi hæc contigerũt procul dissitus. Ita enim negantem conuicit. Nõne cor meum in præsenti erat, quãdo reuersus est homo de curru suo in occursum tui? Nunc igitur accepisti argentum, & accepisti vestes, vt emas oliueta, & vineas & oues & boues &c. Quis Elisæo absenti hæc scire & nosse dederat? Capite verò sequenti, habes euidentius multo ad sententiam nostram roborandam exemplum. Rex (inquit Scriptura) Syriæ pugnabat contra Israhel, consiliũq; inijt cum seruis suis dicens, in loco illo & illo ponamus insidias. Misit itaq; vir Dei (Elisæus nempe) ad Regem Israhel, dicens: caue ne transeas in locum illum quia ibi Syri in insidijs sunt. Misit itaq; rex Israhel ad locum quẽ dixerat ei vir Dei, & præoccupauit eum, & obseruauit se ibi non semel neque bis. Conturbatumq; est cor regis Syriæ pro hac re, & conuocatis seruis suis, ait, Quare nõ

indicatis mihi, quis proditor mei ſit apud Regem Iſrahel? Dixitq; vnus ſeruorũ eius, Nequaquã Domine mi Rex, ſed Eliſeus Propheta qui eſt in Iſrahel, indicat regi Iſrahel omnia verba quæcunque locutus fueris in conclaui tuo. Vides hic prophetam vidiſſe & nouiſſe abſentem, quod ſecundum naturam humanam impoſsibile omnino erat. Et quis prophetę hęc indicabat, niſi ſpiritus Dei quo donatus erat? Et Sanctos qui natura vnum cum Deo ſunt, & de ſpiritu Dei viuunt negabimus huiuſmodi ſcire poſſe? Reuera quicquid ſanctis aut pijs datum eſt gratiæ in hac vita, parum eſt, imo nihil eſt, ſi cum eo gratiarum & donorum cumulo conferatur quo donati à Deo ſunt in vita cœleſti. Vides P. R. quantopere extenuare cupiant lupi illi graues, præmia illa quæ Sancti conſecuti à Deo ſunt, quæ tam magna, tã ampla ſunt, vt ſcriptura neget vel oculos mortales maiora vidiſſe, aut aures audiſſe, aut in corde humano poſſe comprehẽdi. Et cum Paulus affirmet, id quod in præſenti eſt momentaneũ & leue tribulationis, ſupra modum in ſublimitate æternę gloriæ pondus operari in Sanctis, iſti Cenſores, volunt Sanctos in cęlis tanquam in carcere recluſos, & ab omni rerũ humanarum cognitione abactos, otioſe deſidere.

Nullum (opinor) negaturum tam impoſsibile eſſe vt Angeli in cœlo Deo pręſentes ſcire poſsint & exploratum habere, quid apud mortales agatur, quidue ab illis deſideretur, quam ipſi ſancti. Et tamen

men Christus in Euangelio affirmat gaudium esse in cœlo Angelis ibidem existentibus, super vno peccatore in terris pœnitentiam agente. Si ergo Angeli in cœlo agentes norunt pœnitentiam peccatorum in terra agentium, & inde illis fit gaudiũ magnum, cur hoc de Sanctis non est credendum, qui in eodem cœlo cum Angelis versantur & in eadem cum illis sunt conditione? Angelos etiam in cęlis existentes nosse vota & desideria hominũ in terris versantiũ satis ostendit Angelus Gabriel, qui Danielis Prophetæ desideria se scire protestabatur. Hæc satis responsa sint tribus illorum argumentis prioribus; ad reliqua tria confutanda, videlicet, Sanctos non orare pro nobis, neq; Deũ illorum precibus quicquam nobis tribuere, ideoque nec a nobis implorandos esse, nihil aliud adducam, quam totius orbis testimonium, quam veterum omnium sententiam, Historiographorum omnium affirmationem, consensum deniq; omnium sæculorum. Tanta siquidem copia verorũ miraculorum, magna liberalitate mortalibus exhibitorum quæ in memorijs Sanctorum continẽtur, Deus istorum somnia & argumenta inualida sic confutauit, pessundedit atq; prorsus explosit, vt mirer illos vel os aperire audere. Satis ea quæ ad Diuorum altaria vsque adhuc suspensa videntur & indicia sunt sanitatum à Sanctis humano generi impetratarum, illos mendacij arguunt. Et sane similes isti sunt Pharisæis, qui cum mira-

cula

cula Christi obscurare aut negare non possent, di cebant eum per dæmonis potestatem illa patrare, & facere: Sic & nostri temporis Pharisæi, qui ipsa miracula tot testimonijs conuicti negare nequeunt, aut ab hominibus confictos fingũt morbos, aut Magica vel diabolica virtute, miracula perpetrata affirmant. Mentior si non insignes illi Magdeburgici Centuriones, corruptores & deprauatores veritatis historicęque fidei, Diuum Martinum Magum appellant, ob eximias quas Deus per illũ operari dignatus est virtutes. Ita isti Antichristi præcursores quærunt (scilicet) gloriam & Dei honorem, ardenti Zelo adducti. Non tamen eo infi cias quin multa his sint admixta quę paruam merentur fidem, sed de illis loquor Sanctorum virtutibus, quę nobis ab authoribus probatissimis tradita & relicta sunt, qui aut ipsi ea coram viderũt: aut à fidissimis testibus illa acceperunt. Bene & prudenter ait Erasmus, nullum tam reperiri posse impudentem qui dicere audeat omnia illa esse vana & conficta, quę nobis à tam probatis authoribus sunt tradita, & omnium sæculorũ consensu confirmata. Explosis ergo Satanæ & ministrorũ eius argumentis, videamus, cur tam ipsi quã suis etiam, hæc Apostolica doctrina tantopere displiceat. Quod ad ipsum Satanam attinet, duas opinor esse causas. Prima quidem est, quod diabolus admodum superbus est ac rex (iuxta scripturam) super omnes filios superbiæ, & ægrè admo-

dum ferre poteſt,quod toties ab Eccleſia in triumphum ducatur,videlicet quoties annui Sanctorũ natalitij dies in Eccleſia aguntur, atq; illorum vita & res geſtæ publicè recitantur. Nam hoc vrit illum ſupra modum,quod ipſe tam vafer,tam potens,& qui quondam omnibus imperabat, nunc à Martyribus, virginibus tenellis & pueris tã turpiter vincatur, quod omnes inſidiæ, technæ, doli, tentationes contra illos, nihil illi attulerint præter dedecus & magnam infamiam. Quod deniq; neque horrendis tormentis infirmam illam humanam naturam ad ſe deflectere atque à Deo auertere nequiuerit. Quam putas inſanire ipſum & inuidia torqueri,quoties Eccleſia cum ſummo iubilo ac læto triumpho in feſtis Sanctorum Martyrum hunc hymnum Deo concinit.

Sanctorum meritis inclyta gaudia
Pangamus ſocij geſtaque fortia,
Gliſcit namq; animus promere cantibus
Victorum genus optimum.

Hi ſunt quos retinens mundus inhorruit,
Ipſum nam ſterili flore peraridum
Spreuerunt penitus,nec piguit ſequi
Te,rex Chriſte,per ardua.

Hi pro te furias atq; ferocia
Calcarunt hominum ſæuaq; verbera,

His

His cessit lacerans fortiter vngula
Nec carpsit penetralia.

Cæduntur gladijs more bidentium,
Non murmur resonat, non querimonia.
Sed corde his tacito mens bene conscia
Conseruat patientiam.

Quæ vox quæ poterit lingua retexere
Quæ tu Martyribus munera præparas?
Rubri nam fluido sanguine, laureis
Ditantur bene fulgidis.

Neque sine causa est quod dies quibus è sęculo excesserunt & hac vita mortali defuncti sunt, nō mortis dies Ecclesia, sed dies natalitios, triumphos ac trophæa appellet, vti in hoc hymno videre est.

Ob hoc precatu supplici
Te poscimus pijssime
In hoc triumpho Martyris
Dimitte noxam seruulis.

Et iterum.

Aurem benignam protinus
Appone nostris vocibus,
Trophæa sacra pangimus
Ignosce quod deliquimus.

Et rursum Sanctarum virginum mortis diem festum dicit Ecclesia esse trophæum. His & simil limis vocibus ab Ecclesia in triumphum ducitur Satanas quotidie, qui semel cuperet abolitis Sanctorum omnium meritis gloria potiri & hoc tanto dedecore solui: Nam quo fortior ac robustior hostis ab imbecilli fuerit superatus, eo ad robustiorem dedecus maius, ad imbecillem vero gloria maior accedit. Altera vero causa est multiplex vtilitas quæ inde ab hominibus capitur. Discimus hinc laudare Deum non in se solo, sed & in sanctis, in quibus gratia & potentia eius tam mirabiliter effulget. Discimus Deum (contra multorum blasphemias) impossibilia non præcepisse, sed qui legem præceptorum dedit, dare etiã benedictionem, qua præcepta seruare possumus. Discimus quam bene gratia Dei vsi sunt Sancti, & quid gratia Dei in homine efficere potest. Postremo nostra fides hinc admodũ roboratur, spes confirmatur, & charitas magnum sumit incremẽtum. Nam præcedentia Sanctorum præclara facinora, posterorum animos impellere atq; incitare solent. Hæ sunt præcipuę causæ cur Satanas tantopere hanc doctrinam Apostolicam oppugnet, eamque funditus euertere tanto studio conetur. Quod vero ad ministros illius & cooperarios attinet, hæc etiam est causa. Tenebriones isti spiritu sui regis pleni, animaduertunt Sanctos in summo esse & fuisse apud omnes honore, & cum ipsi sint homi-

homines honoris cupidissimi, quique præter humanam nihil venentur gloriam, & cum nihil in sese conspiciant virtutum, quibus sancti clari & celebres mundo effecti sunt, tamen appellari sese Euangelistas, Apostolos, Helias & ministros Dei ab omnibus cupiunt ac ambiunt, neq; tamen ea via ad huiusmodi, qua Sancti progressi sunt peruenire illis lubet: Breui & scelesto compendio ad id quod ambiunt sese posse grassari, sperant, videlicet, si Sanctos omnes cœlo deturbatos & in ordinem redactos sub pedibus suis conijciãt, & ex autoritatis arce, quam hactenus apud omnes obtinuerunt infra se detractos ponant, affirmando illos errasse, proprijs meritis confisos cœlũ voluisse conscendere, operibus bonis Christi meritum extenuare voluisse: Denique nihil spiritus in illis fuisse, scripturas non intellexisse, & Postremo ranas esse Ægyptiacas. Hæc est potissimum causa cur tantopere & gloriæ Sanctorũ ac gratię, qua Deus illos donauit, inuideant, cur in illorum sanctissimam vitam, tam acres & iniqui sint censores, cur omnia arrodant ac mordeant, cur optime facta pessime interpretentur. Ego sane P. V. cum videam his technis fucis atq; in speciem pijs verbis, multos non admodum acris ingenij decipi, & ex ignorantia quadam hanc Apostolicam doctrinã ab huiusmodi seductis hominibus contempni, non potui mihi temperare quin arrepto calamo, quid Apostoli & Apostolorum discipuli hac de re


nobis tradiderũt & quo pacto ea quæ ab ipſis tradita ſunt, in hæc noſtra tempora inuariata deſcenderunt annotarem, & in ordinem certum redigerem, vt omnes intelligere poſsint hanc procul dubio doctrinam, eſſe Apoſtolicam traditionem, nõ turpis lucri gratia in Eccleſia aut tolleratam aut nuper excogitatam, ſed ab ipſius Eccleſiæ incunabulis, tanquam ſanam & veram doctrinam traditam fuiſſe & inſtitutam. Et hac quidem in parte multis paraſangis euadimus aduerſarijs noſtris ſuperiores, quod quæ Eccleſia nobis credenda proponit docetque, referri poſsint ad ipſos Apoſtolos aut ad Apoſtolorum diſcipulos tanquam primos authores, & vniuerſi orbis conſenſu ac profeſsione ſint confirmata: Aduerſariorum verò noſtrorum paradoxa, non ad Apoſtolos neq; ad Apoſtolicos viros poſsint referri, verum aut ab ipſis ſint nuper excogitata, aut ab Hæreſiarcha olim damnato, mutuata, neque orbis totius conſenſu firmata, ſed in obſcuro aliquo angulo vix recepta. Et quandoquidem res iſta quam tentaui multorum inuidiæ expoſita ſit, multoſque ſit Momos ac irriſores habitura, opus eſt mihi Pater Reuerende Patrono aliquo, qui gratia, authoritate, eruditione atque religione apud omnes præſtet, qui noſtrum laborem in tutelam ſuam accipiens, ab illorum morſibus defendat ac tueatur. Verum difficilis nõ fuit mihi iſte labor, cum tua amplitudo, in quam hæc omnia concurrunt, tam è vicino ſeſe nobis offe-

offerat. Religio ſanè tua (abſit adulatio, veritatē enim dicam) tam inſignis ſemper fuit, vt in omnibus ferè Monaſterii tui functionibus, quas magna cum laude geſsiſti, ſemper altiora viſus fueris promereri, atque multis annis antequam conſecutus eſſes Abbatialem dignitatem te dignum ea reddideris. Sanctè enim & religioſe Monaſterij tui tyrones primum inſtituiſti. Ægros deinde ac valetudinarios piè ac commodè tanquam Chriſti membra tractaſti, Adhæc fidus ac liberalis fratrum tuorum œconomus fuiſti, Poſtremò negotia etiam prophana quæ ad præpoſituram Monaſterij tui ſpectant, magna cum ingenij dexteritate gubernaſti. Eruditione verò tua, longè & noſtrū & aliorum ferè omnium iudicum ſuperas. Nam cum elapſa æſtate veniſſem amplitudinem tuam ſalutatū, & eſſem humaniſsimè ab illa ſuſceptus, præſenſque eſſet R. Pater Dominus Abbas Dunēſis cum aliquot canonicis, mentio incidit de operibus D. Hieronymi Romæ excuſis, allato codice tuo iuſſu, mihi legendi publicè præfationem editionis deferebas, ego vero honoris gratia recuſabam, tum tu arrepto libro præfationem corā omnibus, tam doctè, tanta cum grauitate perlegiſti, vt ego cæteriq; multum inter hæc admiraremur, quomodo fieri potuerit, vt tu qui tam multis prophanis negotijs diſtrictus diſtractuſq; fueris, tantum temporis potueris ſuffurari quod literarum tantarum cognitioni tribuere quiueris. Authori-


tas verò tua tanta eſt, vt inter nobiliſsimas totius Flandriæ Abbatias, primatum veterrimo priuilegio obtineas. Gratia verò tantum potes, vt nullus ferè ſit, quin ſperet Monaſterium S. Petri te præſide florentiſsimum futurum. Pietatem tuam ſatis declaras, cum difficillimis hiſce temporibus tam magnificè templi tui exquiſitiſsimas aras & inſignia ornamenta, per Caluiniſtas confracta, tā tis impendijs reparas. Sed potiſsimum illam toti orbi manifeſtam clariſsimo atq; ſaluberrimo exemplo reddis, cum reformationem nuper in veſtro Monaſterio inchoatam tanta diligentia atq; diſcretione prouehas atq; ad effectum perducere geſtias, adeo vt Reuerendam veſtram perſonam in illa obſeruanda primam exhibeas, & vt pius anteſignanus, fratribus tuis facem præferas atque viam oſtentes. Liberalitatem tuam in ſtudioſos ego abundè teſtari poſſem, quippe qui in me munificus admodū fueris. Eleemoſynas tuas in pauperes, afflictos & miſeros enarrabit omnis Eccleſia. Et quod maius eſt his omnibus, in tanta authoritate atque amplitudine nullum tibi ſupercilium, nullus faſtus eſt. Non ergo mirandum eſt ſi diuina prouidentia, T. R. P. ad illam ampliſsimam functionem quā tot modis promeritus es, promouere voluerit. Ego ſanè P. R. firma ſpe (cum Diuo Paulo) in Domino Ieſu confido quod qui cepit in vobis opus bonum perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu. Paternitatem veſtram pro nobis

bis orantem incolumen ſeruet Deus. Vale & Garetium illorum albo inſcribas qui tibi ſunt addictiſsimi. Gandaui ex Monaſterio noſtro Filiarum Dei 11. Martij, 1570.

FINIS.










In librum Domini Ioannes Garetij Theoligi erudititissimi de Sanctorum Inuocatione carmen M. Hauwelij.



DVlcis spes patriæ, & terræ modo magna Brabãtæ
Gloria, & æternum sacris decus addite Musis
Gareti facunde, iterum tua maxima cura
Ingenijq́, labor studijs crescentibus æuo
Diuinum largitur opus, tua prompta voluntas
Nititur afflictis bene dum succurrere rebus.
Nam prius ardentis describens pignus amoris,
Quod Deus extremo moriturus fine reliquit.
Non aurum aut gemmas, oriens quæ munera, mittit
Lucida, sed sese, se ipsum mirabile dictu
Sese quantus erat, vero se corpore nostris
Insinuans animis, satians nos sanguine vero,
Illud non oculi quamuis, sensusue capessant,
Omnibus indubitata fides te facta Magistro est.
Quin etiam magno Missæ miracula, plausu
Abdita, diuini & ritus sollennia multis
Ambigua, heu, nimiũ ambigua, hoc ni tempore fulta
Purius Eoi radiarent lampade Phæbi.
Sed vestro ingenio, vestro sed, Macte, labore
Gareti: omne tuo debemus id omne fauori:

Ipsum

Ipsum luce etenim clara quod cernere verum est
Confirmat veterum constans sententia patrum.
Inde quoque antiquam spirantia relligionem
Edidit, ò, tua sancta fides oracula nobis
Queis Pythij aut Clarij cædant responsa Deorum
Nempe pijs precibus viuorum, nempe solutis
Exequijs, aliquid decedere numinis iræ,
Placarique Deum facilemque ad vota venire,
Vt vita requiem functis, vt detque quietem:
Nec contentus adhuc, maioribus ingressurus
Paßibus, æthereos proceres cælique senatum
Et nostri superis quæ cura sit anxia diuis
Vt nostras videantque preces & verba benigni
Percipiant, faueantque pijs, & vota secundent,
Æternum miserisque patrem, & mortalibus ægris
Concilient, iustam valeant vt numinis iram
Criminibus quæ supplicia & sunt debita nostris
Flectere vel factis veniam impetrare proteruis,
Non minus eximio describis, vt ante, libello.
Quæ neque iure fidem mereantur scripta minorem.
Scilicet è cælo nos exaudire negatum,
Et modo Lethæos verum est hausisse liquores,
Aut rerum oblitos vacuos considere cælo
Seu rigidis similes nulla pietate moueri
Cautibus, & silices imitari pectore duras:
At quondam in terris cælum percurrere mente,
Et superas poterant animo conscendere sedes,
Tunc hominum quando miserati sæpe labores
Cura fuit medijs ægros ex faucibus Orci

Eri-

Eripere & triſtes precibus depellere morbos.
Quin potius verum eſt cum nunc lucentia ſtellis
Templa colant, habitentq; arces fulgentis Olympi
Vnde queant totum ſuperi deſpicere mundum,
Præſenteſq; Deum præſentem contemplenturq;
Aßiduo aſpectu ſaturentur lumina vultus,
Diuini vultus, ex quo ceu fonte perenni
Omnis cognitio rerum & ſapientia manat,
Scire equidem noſtras audire & tangere curas.
Quinetiam iuſto cum gens ſuffuſa rubore
Mortalis, diri ſceleris ſibi conſcia ſummum
Compellare patrem metuit lucemq; refugit
Diuinam, ſolis quæ lumina clara retundit.
Tum precibus pariter corruptis crimine nullo
Inſontes meritiſq; Deo Chriſtoq; propinqui
Auxilium prebent facileſq; boniq; vocati,
Et regem nobis flectunt ad vota ſupremum.
Quæ commiſſa pijs monſtrabunt omnia Chartis
Gareti reſponſa patrum collecta labore
Tantum da facilem lector monitoribus aurem
Cælicolum temere & ne dedignere fauorem.

FINIS.



Elegia Caroli à Marca, in commendationem libri D. Ioannis Garetij.

VT nunquam Deus alme tuā sub gurgite mergi,
Sit licet vndarum turbine quassa ratem
Suffers? vtque tuum nunquam pie pastor ouile
Deseris, vt rapidis sit fera preda lupis?
Quæ modo sub pedibus tantum non trita iacebat
Candida, cum vèra relligione, fides,
Quæque diu tristi tenebrarum mersa barathro
Delituit, fœda pressa sub illuuie,
Emicat, & totum longe diffusa per orbem
Clarius æthereo lampade, aperta nitet.
Vndiq; quos cæcus iampridem inuoluerat error,
Conuersi purè pristina sacra colunt.
Pneûmatis affulsit doctorum gratia sancti
Ingenium, lapsos quo reuocent animos.
Quos inter crebro populi versatur in ore,
Laudibus & nomen fertur in astra tuum,
Gareti, grudiæ non infima gloria gentis
Doctrina ingenio iudicioq; potens.
Ante licet, fœdè impietas quos falsa ligarat,
Insigni duros solueris arte nodos:
Acrior insurgis studijs maioribus instans

Per-

Perfecta niteat quo tuus arte labor.
Vnus adhuc tantum restabat scrupulus (eheu)
Multorum indignè saucia corda tenens
Quid purè ad superos effusa oratio prestet
Ætherei resident qui super astra poli,
Vt iustam à nobis offensi numinis iram
Auertant, mira hic dexteritate doces.
Siquid erat falso quod controuertere posset
Impius, excussis iam omne patet, nebulis
Vnde tuos nunquam Gareti æquare labores
Posteritas grata sedulitate queat.
Donec erit constans legis fulcita columnis
Relligio, viuet nominis aura tui.
Tu summa æterni Iesu sapientia patris,
Lux sine qua mundi lumina luce carent
Effice vt implicitum cecis erroribus orbem
Extricet in lucem quod modo prodit opus,
Fulciat inque fide stantes, ex parte labantes
Erigat, erectos & super astra vehat.

FINIS.






Ad Ioannem Garetium Theologũ prestantiss. Epigramma Philippi Stoppelaerij Gandauensis.

NI te plus anima, toto plus corpore amarem,
Te odissem toto corpore, teque anima.
Nam tibi amicorum tanta est modo copia, non vt
Hic, aut ille tuus, verum alij, atque alij
Esse velint, omnes dextro quos lumine Musæ,
Quosue fauente videt Cynthius ipse oculo:
Vnde tibi Phœbi, Musarum & munera poscas,
Vnde sales vatum, delitiasque legas
Et tamen hîc à me (quod mirum est) hîc petis vltro
Te partem nostri carminis vt faciam.
Quid? genioue meo hoc tribuam, vestroue fauori?
Dispeream hoc vester ni facit omne fauor.
Qui nostrum tanto victurum tempore nomen
Inmiscet vestris, docte, voluminibus
Quanto apud Æthereum pro nobis vota parentem
Effusa ex imo corde ferent superi.
Quod tu sed veterum nixus sudoribus, edis,
Et facis vt quiuis audiat & videat.
Ergo ego pro tanto quid reddam munere? nil est
Quam vt te plus adamem corpore, plusque anima.

FINIS.



ASSERTIO

EX ORTHODOXORVM PATRVM TESTIMONIIS, APOSTOLICAM ESSE traditionem, Sanctorum animas post mortem in cælesti gloria Angelis esse similes, nostra non ignorare, pro nobis orare, à Deo exaudiri, & à nobis inuocandos.

IOANNE GARETIO D. Augustini Canonico, & Gandaui Filiabus Dei à confessionibus, Auctore Collectoreq; longè diligentissimo.

DEVS IPSE OMNIPOTENS.



VLTIPLICABO semen tuum sicut Stellas Cæli, daboq; posteris tuis vniuersas Regiones has: & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, *eò quod obedierit Abrahã voci meæ, & custodierit præcepta mea, & cæremonias meas, legesq́ seruauerit.* Genc.26.

IDEM DOMINVS DEVS.

Dixit itaque Dominus Salomoni, Quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum, & præcepta mea quæ mandaui tibi, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo. Veruntamen in diebus tuis non faciam, *propter* 3.Reg.11.

Dauid patrem tuum: de manu filij tui ſcindam illud, nec totum regnum auferam, ſed tribum vnam dabo filio tuo, *propter Dauid ſeruum meum*, & Hieruſalem quam elegi.

S. RAPHAEL ARCHANGELVS.

Thobi. 12. Benedicite Deum Cæli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei, quia vobiſcum fecit miſericordiam ſuam. Etenim ſacramentum Regis abſcondere bonum eſt, opera autem Dei reuelare & confiteri honorificum eſt. Bona eſt oratio cum ieiunio, & eleemoſina magis quàm theſauros auri recondere, quoniam eleemoſina à morte liberat, & ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit inuenire vitam æternam. Qui autem faciunt peccatũ & iniquitatem, hoſtes ſunt animæ ſuæ. Manifeſto ergo vobis veritatẽ, & non abſcondam vobis occultum ſermonem. Cum orabas cum lachrimis & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandiũ tuum, & mortuos per diem abſcõdebas in domo tua & nocte ſepeliebas, *ego obtuli orationem tuam Domino*, & quia acceptus Deo eras, neceſſe fuit vt tentatio probaret te. *Et nunc miſit me Dominus vt curarem te, & Saram vxorem filij tui à dæmonio liberarem.* Ego enim ſum Raphael Angelus vnus ex ſeptem qui adſtamus ante Dominum.

IACOB PATRIARCHA.

Geneſ. 48. Deus in cuius conſpectu ambulauerunt patres mei Abraham & Iſaac, Deus qui paſcit me ab adoleſ-

adolescentia mea vsque in præsentem diem, Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis: *& inuocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum, Abraham & Isaac*, & crescant in multitudine super terram.

MOSES PROPHETA.

Cur Domine irascitur furor tuus contra popu lum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti in fortitudine magna, & manu robusta? Ne quæso dicãt Ægyptij: callide eduxit eos vt interficeret eos in montibus, et deleret è terra. Quiescat ira, et esto placabilis super nequitia populi. *Recordare Abraham & Isaac & Iacob seruorum tuorũ*, quibus iurasti per temetipsum dicens: Multiplicabo semen vestrũ, sicut stellas cæli, & vniuersam terram hãc de qua locutus sum, dabo semini vestro, & possidebitis eam semper. *Placatusq; est Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat aduersus populum suum.* Exod. 32.

AHIAS PROPHETA.

Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego scin dam Regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus. Porrò vna tribus remanebit ei *propter seruum meum Dauid*, & propter Hierusalem ciuitatẽ quam elegi ex omnibus tribubus Israel: eò quod dereliquerit me, & non ambulauerit in vijs meis, vt faceret iustitiam coram me, & præcepta mea, & iudicia sicut Dauid pater eius. Nec 3. Reg. 11.

auferam omne regnum de manu eius, sed Ducem ponam eum cunctis diebus vitæ suæ, *propter Dauid seruum meum quem elegi, qui custodiuit mandata mea & præcepta mea.* Auferam autem regnũ de manu filij eius, & dabo tibi decem tribus, filio autem eius dabo tribum vnam, *vt remaneat lucerna Dauid seruo meo cunctis diebus.*

Esaias Propheta.

Cap. 37. Zelus Domini exercituum faciet istud. Propterea hæc dicit Dominus de Rege Assiriorum: Nõ intrabit ciuitatem hanc, & nõ iaciet ibi sagittam & non occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu eius aggerem. In via qua venit, per eam reuertetur, & ciuitatem hanc nõ ingredietur dicit Dominus. *Et protegam ciuitatem istam,* vt saluem eam propter me, *et propter Dauid seruũ meũ.*

Oseas Propheta.

Capi. 12. Iudicium ergo Domini cum Iuda, & visitatio cum Iacob. Iuxta vias eius, & iuxta adinuẽtiones eius reddet ei. In vtero supplantauit fratrẽ suum, & in fortitudine sua directus est cum Angelo, & inualuit ad Angelum & confortatus est, *& fleuit & rogauit eum,* in Bethel inuenit eum.

Zacharias Propheta.

Cap. 1. In die vigesima & quarta vndecimi mensis Sabath, in anno secundo Darij, factum est verbum Domini ad Zachariam filiũ Barachiæ, filij Abdo, Prophe-

Prophetam dicens: Vidi per noctem, & ecce vir ascendens super equum rufum, & ipse stabat inter myrteta quæ erant in profundo, & post eum equi rufi, varij & albi. Et dixi: Qui sunt isti, domine mi. Et dixit ad me Angelus Domini qui loquebatur in me: ego ostendam tibi quid sint hæc: Et respondit vir qui stabat inter myrteta, et dixit. Isti sunt quos misit Dominus vt perambularét terrá. Et responderunt Angelo qui stabat inter myrteta, & dixerunt: Perambulauimus terram, & ecce omnis terra inhabitatur & quiescit. Et respondit Angelus Domini, & dixit: *Domine exercituum vsquequo tu non misereberis Hierusalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es? Iste iam septuagesimus annus est.* Et respondit Dominus Angelo qui loquebatur in me, verba bona, verba consolatoria. Et dixit ad me Angelus qui loquebatur in me, Clama dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Zelatus sum Hierusalem, & Syon zelo magno, & ira magna ego irascar super gentes opulentas.

IDEM.

Leuaui oculos meos & vidi, & ecce vir, & ecce in manu eius funiculus mensorum, & dixi: Quo tu vadis? Et dixit ad me: Vt metiar Hierusalem, & Iudæam, quanta sit latitudo eius, & quanta longitudo eius. Et ecce, Angelus qui loquebatur in me egrediebatur in occursum eius, & dixit ad eum: *Curre, loquere ad puerum istum dicens:* Absq; Cap. 2.

muro habitabitur Hierusalem, præ multitudine hominum & iumentorum in medio eius.

DANIEL PROPHETA.

Capi.8. Factum est autem cum viderem ego Daniel visionem,& quærerem intelligentiam: Ecce stetit in conspectu meo quasi species viri. Et audiui vocem viri inter Vlai, *& clamauit, & ait: Gabriel fac intelligere illam visionem.* Et venit & stetit iuxta vbi ego stabam: cumque venisset, pauens corrui in faciem meam,& ait ad me: Intellige fili hominis, quoniam in tempore finis complebitur visio. Cumque loqueretur ad me, collapsus sum pronus in terram: & tetigit me, & statuit me in gradu meo, dixitq; mihi:Ego ostendam tibi quæ futura sunt in nouissimo maledictionis, quoniã habet tempus finem suum.

IDEM DANIEL.

Capi.9. Cumque adhuc loquerer, & orarem, & confiterer peccata mea,& peccata populi mei Israel,& prosternerem preces meas in conspectu Dei mei, pro monte sancto Dei mei, adhuc me loquente in oratione mea, ecce vir Gabriel quem videram in visione à principio, citò volans tetigit me in tempore sacrificij vespertini. Et docuit me,& locutus est mihi,dixitq;: Daniel, *nunc egressus sum vt docerem te & intelligeres.* Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: *Ego autem veni vt indicarem tibi,* quia vir desideriorum es, tu autem

ani-

animaduerte ſermonem,& intellige viſionem.

Idem.

Ego autem relictus ſolus, vidi viſionem grandem hanc: & non remanſit in me fortitudo, ſed & ſpecies mea immutata eſt in me, & emarcui, nec habui quidquam virium. Et audiui vocem ſermonum eius:& audiens iacebam conſternatus ſuper faciem meam,& vultus meus hęrebat terrę Et ecce manus tetigit me, & erexit me ſuper genua ſua, & ſuper articulos manuum mearum. Et dixit ad me: Daniel vir deſid r.orum, intellige verba quæ ego loquar ad te, & ſta in gradu tuo: nunc enim ſum miſſus ad te. Cumq; dixiſſet mihi ſermonem iſtum,ſteti tremens. Et ait ad me, Noli metuere Daniel: quia ex die primo quo poſuiſti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conſpectu Dei tui, exaudita ſunt verba tua, *& ego veni propter ſermones tuos.* Princeps autē regni Perſarum reſtitit mihi viginti & vno diebus, *& ecce Michael vnus de Principibus primis venit in adiutorium meum,* & ego remanſi ibi apud regem Perſarum. *Veni autem vt docerem te, quæ ventura ſunt populo tuo in nouiſſimis diebus:* quoniam adhuc viſio indies. Cumq; loqueretur mihi huiuſcemodi verbis deieci vultum meum ad terram,et tacui. Rurſum ergo tetigit me quaſi viſio hominis,& confortauit me, & dixit: Noli timere vir deſideriorū, pax tibi,confortare, & eſto robuſtus. Capi.10.

Cumq; loqueretur mecum, conualui & dixi, loquere Domine mi, quia confortasti me. Et ait: *Nunquid scis quare venerim ad te? & nunc reuertar, vt præliar aduersum Principem Persarũ.* Cumque egrederer, apparuit Princips Græcorum veniens. Veruntamen annuntiabo tibi quod expressum est in scriptura veritatis: *& nemo est adiutor meus in omnibus his, nisi Michael Princeps vester.*

IDEM.

Cap. 12. In tempore illo consurget *Michael Princeps magnus qui stat pro filijs populi tui:* & veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cęperunt, vsque ad tempus illud.

AZARIAS.

Dani. 3. Ne quæsumus tradas in perpetuum, propter nomen tuum: & ne dissipes testamentum tuum, neque auferas misericordiam tuam à nobis, *propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israel sanctum tuum,* quibus loquutus es pollicens, quod multiplicares semen eorum sicut stellas cæli, & sicut arenã quæ est in littore maris.

IVDAS MACHABEVS.

2. Mach. 15 Singulos autem illorum armauit, non clypei & hastæ munitione, sed sermonibus optimis, & exhortationibus, exposito digno fidei somnio, per quos vniuersos lætificauit. Erat autem huiuscemodi visus: Oniam qui fuerat summus Sacerdos,

dos, virum bonum,& benignum, verecundum visu, modestum moribus, & eloquio decorum, et qui à puero in virtutibus exercitatus sit, *manus protendentem orare pro omni populo Iudæorum.* Post hæc apparuisse & alium virum, ætate & gloria mirabilem & magni decoris habitudine circa illum. Respondentem verò Oniam dixisse: *Hic est fratrum amator & populi Israel, hic est qui multum orat pro populo, & vniuersa ciuitate, Hieremias Propheta Dei.*

S. LVCAS EVANGELISTA.

Dico vobis quod ita *gaudium erit in Cælo super vno peccatore pænitentiam agente,* quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigét pœnitentia. Sic *gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pænitentiam agente.* Capi.15.

IDEM.

Pater Abraham miserere mei: *Mitte Lazarum* vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma &c. Rogo ergo te pater, *vt mittas Lazarum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Capi.16.

S. IOANNES EVANGELISTA.

Quatuor animalia & viginti quatuor Seniores ceciderunt coram Agno habentes singuli citha- Apoca.5.

ras et phialas aureas plenas odoramentorum, *quæ sunt orationes Sanctorum.*

IDEM.

Capit. 8. Et alius Angelus venit & stetit ante altare, habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, vt daret *de orationibus Sanctorum omnium* supra altare aureum quod est ante thronū Dei. Et ascendit fumus incensorum *de orationibus Sanctorum, de manu Angeli coram Deo.*

VERA FIRMAQVE FIDEI HVIVS, EX CATHOLICÆ ATQ; Apostolicæ Ecclesiæ Christi, sanctis Patribus, assertio.

S. PETRVS APOSTOLVS.

Clemens epist. 1. ad Iacobum. Certus esto quod necesse est te suscipere omne periculum, quia *nec ego pro salute omnium ab obsecrando cessabo.*

S. IACOBVS FRATER DOMINI.

In liturgia sua. Dignum est vt te verè beatam dicamus Deiparam, semper beatam, & omnibus irreprehensam, et matrē Dei nostri, honorabiliorē quàm Cherubin, & gloriosiorē quā Seraphin, quæ sine corruptione Deū Verbū peperisti, *reuera Deiparam magnificamus.* Tibi ô plena gratiæ vniuersa creatura congratulatur, Angelorum cœtus & hominum genus

genus: quæ es templum ſanctificatum, paradiſus ſpiritualis, virginum gloria, ex qua Deus carnem aſſumpſit & puer factus eſt Deus noſter, qui eſt ante ſæcula. Tuum enim vterum thronum fecit, & tuum ventrem latiorem ac ampliorem cælis ipſis reddidit. Tibi ò gratiæ plena, vniuerſa creatura gratulatur.

IDEM.

Commemorationem agamus ſanctiſsimę, immaculatæ, glorioſiſsimæ, benedictæ Dominæ noſtræ Matris Dei, & ſemper virginis Mariæ, ac omnium Sanctorum & Iuſtorum: *vt præcibus atque interceſsionibus eorum, omnes miſericordiam conſequamur.* In liturg.

S. ABDIAS DISCIPVLVS Chriſti:

In ſepulchro ſancti Philippi, præſtantur beneficia Dei, *orante Apoſtolo.* Lib Cert. Apoſto.

S. DIONYSIVS MARTYR.

Enimuero Sanctorum poſt pacem illam nominum prædicatio, eos attollit, qui piè ſancteque vixerunt, & ad finem vſque virtutis vitam conſtanter, nuſquam ab ea deflectendo tenuerunt. Nos quidem ad imitandum beatiſsimum illorũ habitum, atque ad diuina appetenda prȩmia conuocans & ducens. Illos veluti viuentes prædicans qui (vt Theologia ait) non mortificati, *ſed in diuinam* Eccle hierarch. ca. 3.

uinam

uinam penitus vitam, ex morte translati sunt. Nempe enim diuina memoria nō humano more (in fantasia eius partis vbi sedes est memoriæ) insinuamur, sed sacratiore quodam modo iuxta eā quā in Deo intelligimus vt ita dixerim, prætiosam,& nunquam migrantem scientiam, eorum qui in Dei imaginem excessere, atque in Deo consummati sunt. Nouit enim (vt ait Scriptura) qui sunt eius, & pretiosa in conspectu Domini, mors Sanctorum eius. Quæ profectò Sanctorum mors pro consummata in sanctitate dicitur vita. Sed & illud quoque sacratius intuere, quod impositis sacro altari venerabilibus signis, per quę Christus & signatur, & sumitur, adest protinus atque incunctanter Sanctorum Cathalogus, *coniunctionē eorum indiuiduam, vnionemq́; cum illo altissimam & sacratissimam indicans.*

IDEM.

Lib. de diuinis nominibus capi. 3.

Nam apud ipsos etiam Pontifices nostros, qui numine diuino permoti erant, cùm & nos, vt scis & tu, & multi ex sanctis fratribus nostris, corporis quòd auctorem vitę Deumq; recepisset videndi causa conuenissemus, (aderat autem & Iacobus frater Domini & Petrus maximum antiquissimumq; Theologorum columen) placuissetq; eo viso, ab omnibus Pontificibus, vt quisque idoneus erat infinita potentia, præditam bonitatem diuinæ imbecillitatis laudare, tum omnibus præ-

stitit

ſtitit ſecundum Theologos (vt ſcis) doctoribus.

S. Clemens Martyr,

Vixit Anno 110.

Qui in Deum crediderũt, quanquam obierint *tamen non ſunt mortui:* dicit namque Dominus Sadducæis, de reſurrectione mortuorum: Non legiſtis quod ſcriptum eſt, quoniam ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob? Non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium: omnes enim in ipſo viuunt. Igitur *eorum qui Deo viuunt nec reliquiæ ſine honore manent.* Nam Heliſeus Propheta poſt diſceſſum è vita, mortuum quendam excitauit, interfectum à latronibus Syriæ: attigit enim corpus eius Heliſei oſſa, atque ita reuixit excitatus. Quod factum non eſſet, niſi Heliſei corpus ſanctum fuiſſet. Et Ioſeph complexus eſt Iacob poſt mortem, cum iaceret in lectulo: & Moſes ac Ieſus Naue, Ioſephi reliquias ſecum duxerunt, quod minimè putauerunt piaculum.

Lib. 6. conſtitut. apoſtoli ca. 30

S. Avrelianvs, vixit anno 160.

Adſit nobis (ille Martialis) de cæleſtibus, qui in orbe extitit pius Paſtor, *vt orationibus eius muniti*, mereamur hæreditatis æternæ participes, adſciſci Sanctorum collegio, in regnum Domini noſtri Ieſu Chriſti.

In vita S. Martialis.

S. Irenevs Martyr,

Vixit anno 184.

Ad

Lib. 3. contra hæres. capi. 20. Ad tantam temeritatem progreſsi ſunt quidã *vt etiam Martyres Domini ſpernant*, & vitupe- rent eos, qui propter Domini confeſsionem occi- duntur, & ſuſtinent omnia à Domino prædicta, & ſecundum hoc conantur veſtigia ſequi paſsio- nis paſsibiles Martyres facti, quos & concedimus ipſis Martyribus. Cum enim inquiretur ſanguis eorum & gloriam conſequentur, tunc *à Christo confundentur omnes, qui inhonorauerunt eorum Martyrium.*

IDEM.

Lib. 3. cap. 23. Sicut Eua inobediens facta, & ſibi & vniuerſo generi humano, cauſa facta eſt mortis: ſic & Ma- ria habens prædeſtinatum virũ, tamen virgo obe diens, & ſibi & vniuerſo generi humano, cauſa facta eſt ſalutis: Sic autem & Euæ inobedientiæ nodus ſolutionem accepit per obedientiam Ma- riæ: quod enim alligauit virgo Eua per incredu- litatem, hoc virgo Maria ſoluit per fidem.

IDEM.

Lib. 5. Seducta eſt malè illa, quæ iã viro deſtinata erat virgo Eua, per veritatem euangeliſata eſt bene ab Angelo, iam ſub viro virgo Maria. Quemadmo- dum enim illa per angelicum ſermonem ſeducta eſt vt effugeret Deum, præuaricata verbum eius, ita & hæc per Angelicum ſermonem euãgelizata eſt, vt portaret Deum, obediens eius verbo. Et ſi- cut illa ſeducta eſt, vt effugeret Deum: ſic & illa

ſuaſa

ſuaſa eſt, obedire Deo, vti *virginis Euæ virgo Maria fieret aduocata*, & quemadmodum aſtrictum eſt morti genus humanũ per virginé, ſoluatur per virginé, æqua lance diſpoſita virginalis inobedientiæ, per virginalem obedientiam.

Ecclesia Smirnensis, circa Annum 185.

Ille æmulus totius bonitatis et aduerſarius omnium iuſtorum, poſtquam vidit quod (S. Policarpus) & pro martyrij gloria, & pro vitæ, egregiè virtutibus coronatus eſt, & per mortem præmia immortalitatis indeptus, ſatiſagere cœpit, *vt reliquias eius* ad ſepulturam, noſtris deſiderantibus nemo concederet. inſtigabatur ergo Nicetas Herodis pater, frater autem Dalce, adire Iudicem & petere ab eo, ne humandum concederet corpus, ne forte (inquit) relinquentes illum qui crucifixus eſt, Chriſtiani hunc colere incipiant, Iudæis maxime iſta machinantibus, qui & noſtros intentis oculis obſeruarunt, ne eum è flammis adhuc ardentibus raperent, ignorantes miſerrimi, quia neque Chriſtum aliquando poſſumus derelinquere, qui mortem pro totius mundi ſalute ſuſtinuit, neque alium quenquam colere, quoniá verum Deum, & qui ſolus colendus ſit nouerimus. *Martyres vero tanquam Diſcipulos Domini diligamus & veneremur*, quaſi integre fidem magiſtro ſeruantes & domino, quorum nos quoque

Epiſto. ad Ponthi ecclesias, vide Euſebij Cæſa. lib. 4. hiſto. ca 15. ſcripta circa annũ 185.

in

in fide & perſeuerantia charitatis, optamus eſſe participes. Vbi autem vidit Centurio tam obſtina tam Iudæorũ contentionẽ, poſitũ in medio ipſũ corpus exuſsit, & ita nos poſtmodũ *ambuſta oſſa pretioſiſsimis gemmis chariora*, & omni auro probabiliora per ignem facta collegimus, ac (ſicut conueniebat) ex more condidimus. Quo in loco etiam nunc prȩſtante Domino, ſolennes agimus celebreſq; conuentus, maximè quidem *in die paßionis eius*, ſed & cum memorias eorum, qui prius paſsi fuerant, celebramus, vt ſequentium animi ad præceſſorum viam, exemplis inſignibus ſuſcitentur.

IVSTINVS MARTYR, anno 154.

Queſtio. 28 ad Orthodoxos

Corporum cadauera & eorum ſepulchra abhorrentur, propter fœtorem quem exhalant, non propter mortem. Si enim tantum propter mortem abhorrerentur, non liceret mortuorũ corporum animalium partibus vti ad vſus viuentium, vt corijs, & cornibus, & pilis, quæ quin mortua ſint nulla ratione negari poteſt. Quod ſi mortua ſunt, & tamen propter vtilitatem quæ inde percipitur non abhorrentur, abſurdiſsimũ eſt ea pura exiſtimari propter vtilitatem quam afferunt: ſanctorum verò Martyrum corpora & ſepulchra à gentilibus abhorreri, *cum ea tueantur homines ab inſidijs dæmonum, morboſq́ curent arte medica incurabiles.*

Sex-

SEPTIMIVS TERTVLLIANVS.

Fœlix Romana Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt, vbi Petrus passioni dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur, vbi Apostolus Ioãnes posteaquàm in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam relegatur. Lib. de præscriptione con. hære.

CYRVS SCRIBA, circa Annum 127.

Cũ igitur sanctus Martyr Leõtius diutius verberaretur, & vulneribus ac plagis laceraretur, spiritũ suum Dño tradidit, & in ipsius Tripolis portu sepultus est, cum mundo ipsi, bonum virtutis monumentum dereliquerit, Martyr inquam Leontius, *per quẽ Deus sui regni partẽ nobis cõcedat.* In marty. s. Leontij.

ORIGENES PRESBYTER Anno 230.

Cœteri verò, ignaua manus, & imbellis, remanent extra Iordanem. Si qui autem in ipsis viri fortes sunt, relictis animalibus, & pecoribus, & omnibus impedimentis, pugnant aduersum hostem nobiscum: vsquequo vincantur inimici nostri, vsquequo hæreditatem terræ bonæ, terræ mellis, lactisq; capiamus. Quis enim dubitat, *quod Sancti quique patrum, & orationibus nos iuuent,* & gestorum suorum confirment, atque hortentur exemplis? Sed & voluminibus suis, per ea quę Super numeros capite 31.

nobis ad memoriam ſcripta reliquerunt, docentes nos & inſtruentes, quomodo aduerſum inimicas poteſtates dimicandum ſit: & quomodo agonum toleranda certamina. Pugnant ergo pro nobis, & ipſi incedunt primi ante nos armati. Ipſos enim nos habentes ad exemplum, & videntes eorum per ſpiritum fortia facta, armamur ad prælium ſpiritale, & aduerſus ſpiritalia nequitiæ in cæleſtibus dimicamus.

IDEM.

Super Ieſũ Naue, ca. 13. Habent igitur iam repromiſsionem ſuam, & requieuerunt, & digni iudicati ſunt, per Moyſen capere hæreditatem. Veruntamen adhuc & ipſi pugnãt, & in certamine ſunt, pro ijs qui ſub Ieſu militant. Sed requiris qui ſint iſti qui pugnant, & quæ eſt illa pugna, quam illi gerunt? Ego ſic arbitror, quod *omnes illi qui dormierunt ante nos patres, pugnent nobiſcum, & adiuuent nos orationibus ſuis.* Ita nanque etiam quendam de ſenioribus magiſtris audiui dicẽtem, in eo loco in quo ſcriptum eſt in Numeris: quia ablinget ſynagoga illa hanc ſynagogam, ſicut ablingit vitulus herbam viridem in campo. Dicebat ergo: Quare huiuſmodi ſimilitudo aſſumpta eſt, niſi quia hoc eſt quod intelligendum eſt in hoc loco: Quod ſynagoga Domini *quæ nos præceßit in Sanctis, ore & lingua conſumit aduerſariam ſynagogam, id eſt orationibus, & precibus aduerſarios noſtros abſumit?*

Non

Non ergo in armis pugnandum eſt nobis aduerſum hoſtes noſtros inuiſibiles, ſed orationibus,& verbi Dei meditationibus,et operibus ac ſenſibus rectis. Sic enim armabantur & patres,fide & ope ribus vincentes.

IDEM.

O beate Iob viuens in perpetuum apud Deum & victor permanens in conſpectu Regis Domini, *ora pro nobis miſeris*,vt etiam nos terribilis Dei miſericordia protegat in omnibus tribulationibus,& eripiat ab omnibus oppreſsionibus maligni,& communeret nos cum iuſtis,& conſcribat nos cum his qui ſalui fiunt,& requieſcere nos faciat cum illis in regno ſuo, vbi perpetuò cum ſanctis magnificemus illum. Lib.2. cōmenta. in Iob.

IDEM.

Omnes Sancti qui de hac vita deceſſerunt,habentes adhuc charitatem erga eos qui in mundo ſunt, ſi *dicantur curam gerere ſalutis eorum,& iuuare eos precibus ſuis, atque interuentu ſuo apud Deum*, non erit inconueniens: Scriptum eſt nāq; in Machabeorum libris ita: Hic eſt Hieremias Propheta Dei qui ſemper orat pro populo. Homil.3. in Cantica.

IDEM.

Et hæc corporaliter dicta ſunt, moraliter autem hoc modo: Cum ſit humanæ naturæ admirabilis conſtructio facta, videlicet templum Dei & Homil.27 in Matth.

verbi eius, Discipuli cæterique Sancti, non solum tunc, sed etiam modo miranda opera Dei erga figmentum humanum considerantes, *ante conspectum Christi intercedunt & provocant Christum*, vt ne deserat genus humanum propter peccata ipsorum, sed magis moueant eum ad indulgentiam opera eius miranda, quàm ad iracundiam iniquitas eorum.

IDEM.

Homili.3. in diuersos

Bene ergo, & secundum voluntatem Dei, eorum memoriam sancti Patres celebrari mandauerunt sempiternam in Ecclesijs, velut pro Domino morientium velut pro Iudæis & Gentibus credituris, vel etiam pro ipsis parentibus, quorum parentes nimio dolore percutiebantur, *vt eis intercessio filiorum apud Deum prodesset*. Ideoq; hij beati & sancti infantes in æternum sociati sunt numero omnium sanctorum atque beatorum.

IDEM.

Lib.8 contra Celsū.

Vnus nobis placandus est Deus, & vt propitius sit exoptandum, qui vtique & virtute & pietate placatur. Quod si quis alios velit, præter Deum omnipotentem placatum hic iri, intelligat quemadmodum & corpus id quod mouetur, & vmbrā habet se subsequentē, sic item & qui Deum summū placarit, & illius amicos propitios vt habeat, sequitur, Angelos scilicet *animasq; & spiritus cæteros beatiores, quippe qui simul & sentiant, quinam*

sint

ſint Dei benignitatem promeriti. Nec ſolum ſe hi erga digniores quoſque propitios reddunt, ſed & Deo gratificari volentibus *opitulantur: hiſque & placatiorem hunc faciunt, vnàque & ſupplicant & precantur:* ita vt affirmare auſim id, vel hominibus, vltro quę potiora ſunt animo deſtinantibus, Deoq; ſupplicantibus, poteſtates illas innumeras nec vocatas quidem *vltrò Deum vnà cõprecari, generiq; huic noſtro adeſſe, & cum dæmonibus, vt ita dixerim certamen inire*, quos viderint eorum impugnare ſalutem, qui ſe Deo permiſerunt.

IDEM.

Incipiam me genibus proſternere, *& deprecari vniuerſos Sanctos*, vt mihi nón audenti petere Deum (propter nimietatem peccati) ſuccurrant. O Sancti Dei vo lachrymis & fletu pleno dolore *deprecor, vt procidatis miſericordijs eius pro me miſero.* Hei mihi pater Abraham, deprecare pro me ne de finibus tuis alliener, quos valde cupiui. In lamento ſuo.

S. IVSTINA MARTYR. V... 283

Illa poſtquam malum ſenſit, ac inſidias cognouit: puræ enim animæ, ac Deo forma ſimiles, celeriores ſunt ad tẽtationem euitandam, quam dęmon ad perſequendum, licet valde ſit verſutus, conatuq; verſipellis. Quid igitur facit? & quid cõtra prauitatis molitur opificem? omnibus alijs omiſsis, ad Deum confugit, ac Sponſum ſuum contra cupidinem execrandam protectorem fa- Hæc habes in Grego. Nazãze. Orõ in S. Cypria.

cit: qui & Suſannam liberauit, & Teclam ſaluauit, hanc quidem à ſenibus amarulentis, illam autem à proco tyranno, & patre magis etiam Tyráno. Et quiſnam ille erat? Chriſtus, qui & ſpiritus & cætera: hæc & plura alia cum commemoraſſet *virginem Mariam rogauit, vt periclitanti virgini opem ferret*, ieiuniijq; & humi cubationis pharmacum obiecit, ac interim pulchritudinem tanquam inſidiatricem tabefecit.

S. POTAMIENA, Anno 228.

Vide 5. ca. li. 6. Eccleſiaſt. hiſto

Certus eſto quod cum abiero ad Dominum meum, ſine mora *boni huius tibi remunerationem parabo.*

ACINDIMVS MARTYR.

Anno 239.

Parane. ad Aphtoniũ martyrem

O frater Aphtoni, beatam vitam ingredere. Beatus enim es propter tuũ diſceſſum, quod primus noſtrum ſiſteris coram optata Trinitate: & tui laboris accipies remunerationes, æternam lucem conſequens & gloriam ſempiternam. Quocirca tu potius *memento tuorum ſociorum, & precare* vt cum quod ſupereſt certaminis perfecerimus, abſque vllo impedimento, eadem quæ tu præmia & eandem adipiſcamur hæreditatem.

S. CORNELIVS MARTYR. 257.

Epiſto. 2.

Orantes Deum & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, *vt intercedentibus ſanctis eius Apoſto-*

lis

lis, maculas purget peccatorum vestrorum.

S. CYPRIANVS MARTYR,

Anno 260.

Incumbamus gemitibus aßiduis & deprecationibus crebris. Hæc sunt enim nobis arma cæle- Lib.1. epi-
stia, quæ stare & perseuerare fortiter faciunt: hæc stο.1.
sunt munimenta spiritualia, & tela diuina quæ protegunt. Memores nostri inuicem simus, concordes atq; vnanimes, vtrobiq; pro nobis semper oremus, pressuras & angustias mutua charitate releuemus. Et si quis nostrum prior diuinæ dignationis celeritate præcesserit, *perseueret apud Deum nostra dilectio, pro fratribus & sororibus nostris apud misericordiam patris non cesset oratio.* Opto te frater charißime semper bene valere.

IDEM.

Cũ volũtati nostrę & cõfeßioni in carcere, & Li.2. epi.6
vniculis accedit moriendi terminus, cõsummata Martyris gloria est. Deniq; *& dies eorũ quibus excedunt annotate, vt commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poßumus.* Quanquam Tertullus fideliβimus & deuotißimus frater noster inter cætera, solicitudinem & curam suam cum fratribus in omni obsequio operationis impertit, qui nec illic circa curam corporum deest, scripserit ac scribat, ac *significet mihi dies* quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosæ mortis exitu transeunt, & cele-

brentur hic à nobis oblationes & ſacrificia ***ob cõmemorationes eorum***, quæ cito vobiſcum Domino proſperante celebrabimus.

IDEM.

Tracta. 2. de habitu virginit.

Quæ vos ſingula o bonæ virgines obſeruare, diligere, implere debetis, quæ Deo & Chriſto vacantes ad Dominum cui vos dicaſtis, vt maiore & meliore parte præceditis. Prouectæ annis, iunioribus facite magiſterium, minores natu præbete comparibus incitamentum: hortamentis vos mutuis excitate, æmulis de virtute documentis ad gloriam prouocate. Durate fortiter, ſpiritualiter pergite, peruenite fœliciter: ***tantũ mementote tunc noſtri, cum incipiet in vobis virginitas honorari.***

IDEM.

Sermo. de Stella & Magis.

Ecce paruuli iſti, quos hoſtis naturæ pietatis inimicus, beſtialis ſæuitiæ, inauditæ crudelitatis monſtrum Herodes occidit, ſubito fiunt Martyres, & dum vice Chriſti & pro Chriſto auulſi à matrum vberibus detruncantur, teſtimonium quod nondum poterant ſermone, perhibent paſsione, & ſufficit cauſa teſtimonio, licet nondum eloquio diſtinguatur. Illico ſpiritus infantilis vaſculi receptaculum deſerens, iam non tenelli corporis, ætatiſq; nouitiæ tepore tenetur, ſed ab illis infantilibꝰ coagulis anima expedita, adepta rationis & intellectus plenitudinẽ, in occurſum Chriſti feſtinat, à quo militiæ ſuæ quærens ſtipen-

dium

dium ad lucis & pacis æterne premittitur gaudia. Et epiphaniæ solēpnia, in cælestibus celebrat, nec in stelle alicuius lumine, sed in ipsa claritate diuinæ præsentiæ gloriatur. Euigilauerunt sensus quos sopor infantiæ opprimebat, displosisq; palpebris intuiti lucem in momento assequuti sunt quę pacificis & mundo corde debetur beatitudinem, & ascendentes per omnium virtutum gradus, sine doctrinæ humanæ exercitio cumulatā inuenere mensuram, ita vt in ordine sanctorum, prothomartyres primum habeāt locum, & secretorum conscij diuinorum propinquitate familiarissima *clementiam Dei pro nostris exorent laboribus* quos vsque hodie funestus Herodes persequitur, quorum sanguine & morte diabolus delectatur. Hi itaque a cunabulis in cœlum translati, facti sunt supremi capitolij senatores & iudices, *nō nullis veniam, obtinentes immeritus*: assistuntq; miserationibus & vltionibus diuinis, sed sepius agni, quem quocunq; ierit prosequūtur, mansuetudine, quam ira vel furore vtuntur.

S. PHILIPPVS SERVVS Christi. Anno 65

Tunc comes Astasius iussit eum capite cædi. Cunq; decollatus esset beatus Prothasius. Ego seruus Christi Phi lippus abstuli cum filio meo furtim nocte, sancta corpora, & in domo mea, Deo solo teste, in ista archa saxea sepeliui, *credens me*

In Vita sā ctorū Geruasij & Prota.

orationibus eorum consequi misericordiam domini nostri Iesu Christi.

Sophia Romana, Año.289.

Oratione ad S. Anastasiam.

Filia iucundissima, filia mihi charissima, filia quam ego in exercitatione, in silentio, & in laboribus pulchre educaui, ago tibi gratias, quod materna præcepta non contemsisti, quod quæ pollicita fueras obseruasti, nec es oblita monitorũ, sed astitisti Christo sponso tuo vestimento virginitatis induta, variata stigmatibus Martyrij, & nunc habitas in loco tabernaculi admirabilis in domo gloriæ Domini, vbi est habitatio laudantiũ. Propterea rogo te chara filia & mater spiritalis (sic enim te inuocare est mihi conuenientius) *esto mihi in hac breui & caduca vita bona nutrix senectutis, & pro me ad æternam vitam transmigrante intercedas, communẽ mihi placans dominũ.*

S. Stratonica Tyana Cappadox. Anno 287.

Vide apud Metaphrastem. Martyrium. S. Hieronis.

Atqui in dolore te peperi infelix, labore autem te alui, sperans te futurum baculũ senectutis, ducem imbecillitatis, consolationem animi egritudinis. Sed enim quid mihi accidit, quæ deducta sum ad lachrymas, cum me oporteat letari & exultare, quod fuerim mater Martyris: quod Deo obtulerim donum vteri mei, quod cum te o charissime aluerim & erudierim & ad pietatem exercuerim, non te viderim consummatum morte cõmuni

muni & mutili. Vtilitatem enim magnam habet mors Martyris, qua tu es consummatus. *Sed me cum decesseris ne omnino relinquas, sed tuis intercessionibus apud eum pro quo* effudisti sanguinē, me ab hac laboriosa & calamitosa vita cito liberatā, apud te statuas, hac in re mihi reddēs mercedem nutritionis.

S. SEBASTIANVS, Anno 280.

Sed ego huius sum fideiussor, ego hunc vobis metum adimo, hæc est enim summa, & caput nostræ fidei, hoc persuadet vt terrena despiciamus, quod postquam hinc excesserimus, ad aliam sumus vitam transituri, in qua conuenienter ijs que gesserit accipiet vnusquisq; remunerationem, vbi hij quoque habitantes, & cum Christo letantes *recordabuntur & parentum & filiorum & vxorum, bona eis postulantes, & suis ad Deum supplicationibus facilem eis vitam prebentes:* Desinite ergo flere, & athletas emollire & a prompto & alacri animi studio retardare. Non enim vos omnino relinquent, etiam si hoc videatur, sed *erunt seruatores & custodes,* nunc quidem ita aduentātes vt nō cadant sub aspectum, post vitæ autem exitum, in æternas suscipientes mansiones cum eis delectationis futuros participes.

Paranesi ad Tranquillinū & suos.

SOPHIA ANCYRANA, Añō 264.

Ego quidem vos o fili, in crypto deposui, sed vos omnino Christus in aperto deducet in requie

Apostrophe ad clementā Ancyranum Epis.

propter quem tot & tanta vestra spōte delegistis. Porro autē me quoq; iam ad vos vocat senectus, quę propterea in hodiernum vsq; diem, est cōseruata, vt vobis communem omnino congerā puluerem, quos ne longum quidē tempus Martyrij a se inuicem separauit: & meipsam vobis pulchrū bustum præbeam. *Sed orate pro me o charissimi*, quæ sum mater & nutrix & supplex, vt possim, sicut hic, ita etiam illic quoque esse prope vos: & apud dominum possim quoq; paruam aliquā habere fiduciam.

S. ANASTASIA Martyr, 289.

Responsione sua ad Iudicē.

Huc vsq; quidē (sancti videlicet Martyres) sunt hic versati, & nobiscum egerunt in corpore. Nunc autem terra relicta, *nos procul vident versantes in cælestibus*. Mors enim suscepta propter Christum, hæc eis conciliauit. In quorum numerum cupio ego quoq; referri, & idē quod illi iter ingredi. *Hoc quoq; datum est a Deo animabus Martyrum*, vt postquam hinc excesserint, veniant ad quos velint, & cum eis sermones conferāt & eos consolentur.

ARNOBIVS PRESBYTER. 380.

In Psal. 31

Opportunum tempus interueniendi pro seruo est, quando seruus emendatur. Nos ergo damus opportunum tempus *sanctis orandi pro peccatis nostris*, quando à peccato recedimus.

S. An-

S. ANTHONIVS MAGNVS. 320.

Nosse etiam vos cupio filioli, quam plurimū dolorem meum, quem habeo pro vobis, aspiciēs grandem illam confusionem, quę super vniuersos aduenit: & considerans multum illum laborem sanctorum omnium atq; gemitum, *quē emittunt pro vobis semper ad Deum:* cernentes laborē proprij conditionis, omnesq; malitias paruipendentes, nec non & decipulas diaboli, & Angelorū eius insidiantium iugiter ad perditionem nostrā. Epist. 2. ad Arsenoitas.

EVSEBIVS CÆSARIENSIS Episcopus, 329.

Non multis post diebus, Basilides cū inter collegas suos ob causam quandā, iuramentū posceretur, ait, sibi non licere omnino iurare, pro eo quod esset Christianus, & hoc publice fatebatur. Ioco estimatus est primo dicere: tum deinde, cum constantius affirmaret, pertrahitur ad tribunal, vbi cum perseuerasset in confessione, vinculis traditur. Tum vero visitantibus eum nostris, & causam subitæ ac laudabilis huius permutationis inquirentibus, dixisse traditur, quo Potamiena post diem tertium Martyrij sui noctu assistens coronā capiti suo imposuerit, dicens: *deprecatā se pro ipso dominum, & impetrasse, vt secundum quod scriptū est: Qui recipit Martyrem, mercedem Martyris consequatur.* Quibus auditis, confestim fratres signū ei dominicum tradunt, & diè postera ob domini Lib. 6. hist. Eccl. ca. 4.

Mar-

Martyrium capite punitur. Sed & alijs pluribus per illud tempus apud Alexandriam condiscipulis suis, cum quibus verbo Dei, in Origenis schola operam dederat Potamiena, simile munus traditur prestitisse, assistens eis per visum, & coronas Martyrij impetratas a Domino deferens.

IOANNES PRESBYTER

Nicomediæ, 357.

In Passione S. Basilei Episco.

Cūq; totum illud sancti viri corpus, quod spiritus sancti templum fuerat inspexissent, ac re illa, omnium opinionem superante miraculo perculsi fuissent ipsiq; Deo miraculorū effectori gloriam reddidissent, cum psalmis & lampadibus, & multis aromatibus ante illud templum, quod à Basileo Martyre constructum fuerat, eius corpus condiderunt, hucusq; Episcopum, Pastorem, & *sui gregis, etiam post mortem custodem vigilantissimum habentes*, eundemq; grauissimorum, ac ferocium luporum, qui non corporeis oculis, sed mente comprehenduntur, aliarumq; ferarum, Græcorum, inquam, & hæreticorum *persecutorem diligētissimum.*

CONCILIVM GANGRENSE,

circa Annum 360.

Canone. 20.

Si quis superbiæ vsus affectu, tanquam perfectum se existimans, conuentus qui per loca & basilicas sanctorum Martyrum fiunt, vel accusauerit, vel etiam oblationes que ibidem celebrantur, sper-

spernendas esse crediderit, *memorias quoq; sanctorum contempnendas esse duxerit*, Anathema sit.

S. Paphnutius Anachoreta.

Sit autē gratia & pax domini nostri Iesu Christi nobiscum, *intercessionibus sanctorum patrum*, qui ei placuerunt, nunc & semper & in secula. In vita S. Onuphrij.

S. Athanasius Episcopus, 382.

Ista noua Eua Maria, mater vitæ appellatur, variegataq; permanet ad primitias vitæ immortalis omnium viuentium. Dicimus eam igitur iterū, atq; iterum, & semper & vndequaq; beatissimā. Sicuti ergo cum ad ipsum respicimus, Regem & dominum & Deum appellamus: ita quoq; cum ad eam oculos conijcimus, Reginam, Dominam, & Deiparam esse animaduertimus. Adest regina a dexteris tuis, vestitu deaurato, circumamicta, variegata. Et iam scilicet, audi filia Dauidis & Abrahæ, & *inclina aurem tuam in preces nostras, & ne obliuiscaris populi tui, neq; nostri*, qui sumus de familia & domo patris tui. Decet enim te matrē regeneratricem dominam, ac heram cognominari, eo quod ex te prodijt rex, dominus & Deus noster, assistentem illi nobis quidem terribili, tibi autem dulci, omnemq; gratiam largienti. Qua de causa factum est vt gratia plena appellata sis, vtpote quę in omni gratia abundares, idq; per superuentum in te spiritus sancti. Ideoq; vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis, dita- In Euang. de sanctiss. deipara.

ri ſcilicet iſtiuſmodi bonis, & ſpiritualibus contē
plationibus. Ad te clamamus,*recordare noſtri ſanctiſſima virgo*,quę etiam à partu virgo permanſiſti: & retribue nobis pro exiguis iſtis eloquijs,magna dona ex diuitijs tuarum gratiarũ,tu quæ gratia plena es,nam ideo his vocibus, vt ex reipſa deſumptis,& natura laudatorijs, precipue in tuum encomium,vtimur,ſi quando Hymnus, ſi quando laus tibi,ſiue à nobis, ſiue ab vniuerſa creatura offertur. Ecce iam nunc & in exordio dixi, vt primitias laudis tibi hoc encomium Archãgelus contexit dicens: Aue gracia plena, dominus tecum. Beatam te predicant omnes Angelorum & terreſtrium Hierarchię,&Hierarchicas manus attollentes benedicunt tibi, quæ & in cælis benediceris & in terris beata predicaris: Benedicta tu in mulieribus & benedictus fructus ventris tui. Ab iſtis deinde nos Hierarchiæ terreſtres, exaltationes Dei in gutture ferentes ſiue quod didicimus, ſiue quod mutuo hæc verba ſumpſerimus,exaltamus te magna & canora voce dicentes. Aue gratioſa,dominus tecum,*intercede hera & domina*,*et regina*,*& mater Dei pro nobis*. Quoniam ex nobis tu oriunda es, & is qui ęditus eſt ex te carnigerus, Deus noſter eſt: quem decet gloria & magnificentia omniſque honor.

HILARIVS EPISCOPVS. 360.

In Pſalm. 124. Non ſumus procurſibus vagi,neq; vijs incerti neq;

neq; inanis doctrinæ vento euolantes. In æternũ enim manendum est, si sine commotione steterimus. Sed *neq; desunt stare volentibus, sanctorum custodiæ, neq; Angelorum munitiones.* Dicitur enim: Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui, ex hoc et vsq; in sęculum. Hos ergo secundum superiora exempla montes esse existimabimus: humilitatem terræ excedẽtes, firmos & excelsos, & immobiles. Cum enim & mõtem significari Ecclesiam, id est Dominum in corpore legimus, & inuenimus montes Dei exultare atq; lætari (scriptum est enim: Montes exultauerunt vt arietes) quomodo possumus montes non eos significatos esse intelligere, qui super terrenam naturam *gloriosi iam in Dei rebus exultãt? Ac ne leue præsidium in Apostolis, vel Patriarchis ac Prophetis, vel potius in Angelis qui Ecclesiã quadam custodia circũsepiant,* crederemus, adiectum est. Et dominus in circuitu populi sui ex hoc & vsq; in sæculum. Sed forte Apostolorum vel Angelorum custodia sufficiens existimetur. Verum id quidem est, sed & Mosen audiamus. Nanq; cũ ei dominus dixisset: Ecce Angelus meus antecedet te, & ille respondit: Nisi tu mecum ambulaturus es, ne me expellas hinc. *Bonum quidem præsidium Angeli,* sed melius, Domini. Multis anima nostra laqueis appetitur, multis aduersus nos armis dimicatur. Non terra, non maria, non aer à fidei nostræ periculo vacant.

IDEM.

In Psal. 129. Et quanquam hæc ita se (vt dictum est) habēt: tamen meminimus esse plures spirituales virtutes, quibus Angelorũ est nomen, in Ecclesijs, præsidentes. Sunt enim secundum Ioannem Asianis Ecclesijs Angeli, sunt & Mose testante secundum numerum Angelorum fines Gentium Adæ filijs constituti. Et Domino dicente, pusillorum Angeli quotidie Deum vident. Sunt secundum Raphaelem ad Thobiam loquentem Angeli assistentes ante claritatem Dei: & orationes deprecantiũ ad Deum deferentes. Hoc ideo commemoratũ est, vt si forte hos esse oculos vel aures, vel manus, vel pedes Dei intelligere voluerimus: habeamus non improbabilis intelligentiæ auctoritaté, maxime cum scriptum sit: Sunt enim efficientes spiritus in ministerium, missi propter eos, qui hæreditabunt salutem. *Intercessione itaq; horum non natura Dei eget, sed infirmitas nostra.* Missi enim sunt propter eos qui hęreditabunt salutem: Deo nihil ex his quæ agimus ignorante, sed *infirmitate nostra ad rogandum & promerendum spiritualis intercessionis ministerio, indigente.*

IDEM.

In Psal. 140. *Omnium sanctorum fidelis oratio clamor est deo,* fide enim ad eum, non vocis clamore clamatur. Moses, instãte Ægyptiorũ rege, mestus stabat in littore, sed tacente licet eo, excelsæ mẽtis fidelem

orationem dominus audiuit: dicens, quid proclamas ad me? Martyrum quoq; sanguis voce corporis caret, sed indignitas necis eorum Deo clamor est: ipso domino de Abel ad Cayn dicēte: vox sanguinis fratris tui clamat ad me. Sic & sub Ara dei Martyrum animæ proclamare scribūtur, magna voce dicentes: Quousq;,,Dominus sanctus & verus, non iudicas & vindicas sanguinem nostrum de habitantibus in terra? Sit tacens licet oratio nostra, Deo clamor est.

S. Appollo Asceta.

Retulit se vidisse Apollo quasdā reuelationes. Vidit enim suum fratrem natu maximum defunctum qui & ipse quoq; fuerat consummatus in solitudine, & ipso pulchro vitæ instituto eum superauerat, cum quo ipse longo quoq; tempore vixit, in solitudine. Videbatur ergo eum videre sedentem in eodem throno cum Apostolis, cum & reliquisset suarum virtutum hæreditatē, & ***sic pro ipso intercedebat Deum rogans***, vt velox esset eius translatio. Hec apud Palladiū in Histo. sctōr. pa.

S. Felix Martyr. 340

Perturbatores Ecclesiæ, non solum prędicta agunt mala, sed & ***memorias Martyrū execrantur.*** Quapropter in nostra constituimus synodo, vobisq; & omnibus Ecclesijs tenendum & agendū mandamus, vt super memorias Martyrum, Missę celebrentur, ne memoriæ eorum à talibus extin- Epist. 2. ad Epōs. Gal.

gui, aut veneratio possit prohiberi.

S. BASILIVS MAGNVS. 3

Homilia i 40. Mar. Quis modus, aut quæ satietas Martyrum memoriam prosequendi erit, illi presertim, qui eorũ amore ac charitate magnopere tenetur? *Nam honor in bonos à conseruis collatus, beneuolentiæ significationem apud communem Dominum habet.* Beneficium igitur hoc fratres dilectissimi, gratiam hanc minime deficientẽ, ex Deo obtinemus. *Paratum est hic Christianis auxilium,* Ecclesia videlicet Martyrum, exercitus triumphantium, chorus laudantium Deum. Sæpe operam dedistis, sæpe laborastis, vnum pro vobis orantẽ inueniretis: *quadraginta sunt hij, vnam orationis emittentes vocẽ.* Vbi enim sunt duo vel tres in nomine Domini cõgregati, ibi Deus est, vbi vero quadraginta fuerint, quis dubitet Deum esse pręsentem? Qui aliqua premitur angustia, *ad hos confugiat:* qui rursus lætatur, *hos oret,* ille vt à malis liberetur, hic, vt duret in rebus lætis: Hic, *mulier orans pro filijs auditur,* peregrinanti viro reditum incolumẽ, ægrotanti vero salutem implorat. Cum his ergo Martyribus nostras effundamus preces. Adolescentes suos coæuos imitentur, patres talium esse filiorũ parentes exoptent, matres exemplum matris optimæ spectent. O sanctum chorum, o sacrum ordinem, o cuneum inexpugnabilem, *o communes generis humani custodes, optimi curarum socij, precum*

eum ac votorum inuicem suffragatores, legati apud Deum potentissimi, astra mundi, flores Ecclesiarũ: vos non terra contexit, sed cælum excepit. Apertę sunt vobis paradisi portę, dignum profecto exercitibus Angelorum, Patriarchis, Prophetis, & iustis omnibus, spectaculum. Mundo simul & Angelis, & hominibus spectaculum facti, mœstos erexerunt, dubios in fide confirmauerunt, pijs desiderium auxere: vnum omnino pro pietate omnes trophęum erigentes, vna iusticiæ corona ornati fuere.

IDEM.

Quoniam maxima ex parte Martyrum hodie memoriam agimus, erecta est cuiusq; mens, & paratus auditus, expectans vt dignum aliquid tanto Martyre dicatur, quod & Ecclesiam desiderio circa illum permouet. Ita nanq; comparati sunt synceri, & cãdidi filij, vt magnifica de parentibus suis exigant encomia, nec facile ferant amplitudinem eorum quæ depredicanda sunt, per dicentis periclitari humilitatem. Cuiusq; animum adhortabimur vt quę in cognitione habet ad memoriã reuocans, ac mente renouans, ex se ipso sibi alimoniã paret, vt proprijs exhilaratus subsidijs, domum reuertatur. Memores estote Martyris quotquot illo per somnia potiti estis, *quotquot in hoc loco constituti, adiutorem ipsum ad precandum habuistis, quibuscunq; ex nomine aduocatus ipsis ad-* Homelia in s. Manãtem.

fuit operibus, quotquot aberrantes ad viam redu xit, quoſcunq; ſanitati reſtituit, quibuſcunq; pueros iam mortuos ad vitã reductos reddidit, quotquot vitæ terminos prorogauit. Collectis in vnũ his omnibus ex communi ſymbolo Martyri encomium conſtruite. Conferte inter vos mutuo, quę quiſq; nouit, illa ſubminiſtret ignoranti quę ignorat, illa accipiat ab eo qui nouit, atq; ita quaſi ad conuiuium, quod quiſq; habet, conferentes, noſtræ ignoſcite imbecillitati. Iſta nanq; demum ſunt Martyris encomia, ſpiritualium chariſmatũ diuitiæ. Hæc nanq; dies preteriti nobis temporis circulum terminat, & rurſus initium eſt iam aduenienti, qui & nos huc congregauit, & futuri energiam largitur, & in illo nos cuſtodiat indemnes, illeſos, & à Lupi rapacitate ſecuros, & Eccleſiam hanc immotam, ac *magnis Martyrum turribus munitam* conſeruet, & omnes furentium hæreticorum inſidias & incurſus in tranquillitate ac ſilentio auertat.

IDEM.

In ſanctũ Cordium

Quod ſi reliquorum facta virorum eloquẽtiæ floribus ornantur, ſanctis tantum ad ea quæ maxima geſſere demonſtranda, ſat fuerit oratio ſimplex. ***Itaq; dum vitam eorum qui in pietate conuerſati ſunt exponimus, dominum cum primis per ſeruos ſuos glorificamus***, deinde & iuſtos ipſos teſtimonio eorum quæ ſcimus celebramus, et populũ per

per auditum recte factorum, exhilaramus: Nam quemadmodum solem quanto magis aspicimus tanto magis eum admiramur, nec vllo modo assiduitate vilescit: sic & huius viri sanctissimi memoria, quo maiori eam temporis spatio retinemus, eo recentior in nostris animis floret. In memoria enim æterna erit iustus. In terris quidem, dum terra durabit, in cælis vero apud æquum & altissimum iudicem dñm nostrũ Iesum Christũ.

IDEM.

Terra porro istius beatæ, aduentu, aquã emisit, quæ suapte natura nulli non nostrum gratiosissima esse debeat, adeo vt Martyr hæc, imaginẽ pientissimæ referat matris, dum nutricis in morem totius incolas vrbis alit suauiter, perinde ac lacte quopiam in communes vsus affatim scaturiente. *Hanc ipsam in nos benigne contulit Martyr gratiã*, quam olim suis Hierecũtinis Elisæus impartiuit. In sanctã Iulittam.

IDEM.

Sanctissimæ & intemeratæ dominatricis nostræ, Dei genitricis & semper virginis Mariæ, cum omnibus sanctis memorantes: nos ipsos & ad inuicem atq; omnem vitã nostrã Christo Deo commendemus. Sanctifica animas nostras & corpora, & da nobis in sanctitate, deseruire tibi omnibus diebus nostris, *intercessionibus sanctæ Dei genetricis, & omnium sanctorum* qui à sęculo glorificauerunt te: Pręcipue sanctæ & intemeratæ bene In liturgia sua.

dictę, dominatricis nostræ Dei genetricis, & semper virginis Marię, S. Ioannis pręcursoris & Baptistę. Sancti. N. illius cuius memoriam facimus & omnium sanctorum tuorum, ***quorum postulationibus visita nos:*** & memento omnium dormientum in spe resurrectionis ęternæ.

Idem.

Episto. ad Iulianum Apostatã Vide actionẽ. 4. Nicæ. Cõci. 2

Quemadmodum à Deo Christianam & inculpabilem nostram fidẽ, veluti hęreditario iure accepimus, sic confiteor & in eo maneo. Credo autẽ in vnum Deum, omnipotentem, Deum patrẽ, Deum filium, Deum spiritum sanctum. Vnum Deum, hæc tria adoro & glorifico. Deinde sanctã Mariam, quæ secundum carnem illum peperit, hanc Deiparam vocans. Suspicio etiam sanctos Apostolos, Prophetas, & Martyres, ***qui pro me apud Deum supplicant, quo per illorum mediationem propitius sit mihi Deus noster, & remißionem mihi peccatorum gratis largiatur.*** Quam ob causam & historias imaginum illorum honoro. Hoc enim nobis à sanctis Apostolis non est prohibitum, sed in omnibus Ecclesijs nostris, eorum historias erigimus.

Gregorivs Nissænvs.

Orõe in s. Theodorum Martyrem.

Vos, Christi gens, grex sancte, regale sacerdotium, qui ex omnibus vrbis agriq; locis confluxistis, vndenam accepto profectionis signo tam facile adacti estis, vt ad sacrum hunc locum frequẽtes

tes conueniretis? Quis huius itineris officiosam ac promptam vobis necessitatem imposuit? presertim cum hyemis tempestas sit, quoquidem tẽpore & bella quiescũt, & omnia milites arma deponunt, & ad firmum nautæ gubernacula reclinant, & agricolę boues aratores in stabulo quiescentes alunt? Ex militaribus profecto recensionibus tuba cecinit sanctus Martyr, multosq; diuersis è patrijs ad propriam quietis sedem & domũ conuocauit, non ad bellicam inuitans expeditionem, sed ad dulcissimam Christianisq; maxime conuenientem pacem. *Hic enim vt credimus, & anno superiore barbarorum tempestatem fædauit, & horribile immanium Scytharum bellũ compressit*, grauem ipsis, qui iam, iamq; appropinquare videbantur, terrorem incutiens, non galea cristata, nec bene exacreto & ad solem fulgẽte gladio, sed malorum expultrice omnipotentique cruce Christi, pro quo etiã ipse mortem oppetens, *hanc sibi gloriam comparauit.* Quęso autem vos, qui puræ huius celebritatis ministri estis, & Martyrum studiosi, vt attentos mihi præbentes animos, considderetis, quantũ lucri iustus hic fecerit, quantaq; præmia sit in hoc, inquam, mundo & apud nos assecutus. Eorum enim præmiorum, quæ nõ cernuntur, magnitudinem animo complecti nullus potest. Cunq; pietatis fructum cognoueritis, illorum qui sic honorati sunt, mentem imitemini, eaq; munera concupiscatis, quæ Christus certan

tibus pro cuiusq; dignitate distribuit. Ac, si videtur, dum à futuris illis bonis, quæ iustis hominib' donec humanæ vitæ iudex adueniat, spes bona conseruat, perfruendis seiuncti sumus, quam præclarus & magnificus sit presens sanctorum status & conditio, consideremus. Animus enim ad proprias reuersus sedes, & corpore vacans, cum suis similibus viuit. Corpus autem castum & inuiolatum eius instrumentum, nullis proprijs affectionibus hospitis quondam sui immortalitatem lædens, multo cum honore obseruantiaq; contectũ pręclare iacet, & veluti thesaurus quidam admodum preciosus in tempus regenerationis conseruatur. Et quamuis ex eadem, ex qua cætera corpora, naturæ materia constet, nulla enim ratione cum illis est comparandum. Aliorum enim reliquiæ vulgo detestabiles sunt, nullusq; volens ad eorum tumulos accedit. Quod si dum aperiuntur, in eos casu quispiam incurrit, coniectisq; oculis deformitatem intus iacétium aspiciat, magna oppletus molestia & humanæ conditionis miseriam deplorans prætercurrit. At si in locum similem huic, ad quem vos hodie conuenistis, si ibi iusti memoria, sanctiq; reliquię sint, accedat, primũ quidem operum, quæ cernit, magnificentia recreatur. Videt enim ædem vt Dei templum, structuræ, tum amplitudine, tum pulchritudine splendide ædificatum & exornatum, vt & faber lignum ad animalium effigiem conformauit. Et lapici-

da

da marmor ad argenti leuitaté expoliuit. Et pictor, artis suæ flores in imaginibus, exprimens res Martyris pręclare gestas, labores, cruciatus, immanes tyrannorum aspectus, impetus, ardentem illam & flammas euomentem fornacem, beatissimum Athletæ finem, Christiq; certamini præsidẽtis, ac pręmia dantis humanæ formam imaginis. Hæc, inquam, nobis tanquam in libro loquente artificiose describens Martyris certamina, sapienter exposuit, & instar prati nitidum templum illustrauit. *Nouit enim etiam pictura tacens in pariete loqui, & vtilitatis plurimum afferre.* Quin etiam lapillorum compositor, pauimẽtum, quod pedibus teritur, arte atque emblemate, vermiculatum, historia dignum effecit. Quamobrem his artis operibus sensibus obnoxijs oculos oblectantes, cupiũt loculo reliquas corporis partes admouere. Etenim ipso contactu sanctimoniam credunt & charitatem excitari. Si quis autem puluerem in ipsa loculi superficie, vbi corpus Martyris requiescit, inherentem prębeat, pro ingenti munere accipiunt, & terram tanquam rem pretiosissimam reponũt. Nam si cui forte facultas detur, vt ipsas reliquias attingat, id vero eiusmodi censetur donum, vt supremo voto nihil maius optari posse videatur. Hoc qui experti sunt, norũt, quiq; eo tenentur desiderio. Ipsum enim corpus perinde, ac si viuum florensq; esset, amplectũtur & deosculantur, oculis, ore, auribus, omnibus denique sen-

ſenſibus adhęrēt, lachrimaſq; pietatis & affectionis indices, effundunt, *Martyriq́, vt omnibus parti bus integro ac vigenti ſupplicāt, vt pro ſe apud Deū legationis munere fungatur.* Vti Dei miniſtrū appellant, qui, quando vult, *inuocatus, munera impetret.* Ex his omnibus populus pius diſcit, quam precioſa ſit in conſpectu Domini mors ſanctorū eius. Etenim licet ex eadem maſſa conflata concretaq́; ſint omnia hominum corpora, ea tamen quæ ſimpliciter intereunt, temere proiecta iacent quę vero Martyrij gratiam obtinuerunt, ſic amabilia, iocundaq́; ſunt & omnium ſtudijs certatim complectenda, vt in pręſentia declarauimus.

IDEM.

Orōe: tad.

Atq; ita prępclarum beatumq́; iter ad Deū confecit, nobis autem memoriam certaminis tanquā magiſtrum reliquit. Qua quidē ille populos congregat, Eccleſiam inſtituit, *dæmones fugat, concili at Angelos pacis, orat à Deo, quæ nobis vtilia ſunt.* Hunc enim locum, tanquam *diuerſis morbis medicinas ſuppeditantem officinam conſtituit,* procellis, tempeſtatibuſq; periclitantium portum, egentium opulentum ærarium, dulce peregrinorum hoſpitium, feſtos dies celebrantium nunquā deſinentem congreſſum. Quamuis enim certum & ſolemnē hunc diem quotannis celebremus, nunquam tamen deficit ſtudioſe aduenientium multitudo. Quamobrem publica, quæ ducit huc, via,

for-

formicarum similitudinem conseruat, alijs redeuntibus, alijs venientibus, alijs succedentibus. Nos igitur o beate, anni circulo benignitate creatoris peracto, sacrum hunc Martyrumq; studiosum cœtum congregauimus, communem adorãtes dominum, certaminumq; tuorum preconiũ memorabile celebrantes. Tu vero, celebritatis auctor, quęcunq; te ora tenet, ***huc ad nos veni. Nos enim te vocantem, vicißim vocamus.*** Quocirca siue sublimi in æthere, moraris, siue cælestem aliquam absidem circumtiertis, siue inter Angelorũ choros constitutus domino assistis, siue inter principatus & Potestates, vt seruus fidelis eum adoras istis omnibus parumper intermissis, ***ad nos, qui te colimus, & honoramus, accede.*** Ac licet oculis nostris minime perspicuus sis, sacrificia nostra tamẽ intuere, vt quibus Deo, qui tibi pro vno supplicio & pia vnica cõfessione tã innumera largitur, gratias agimus, ipsi conduplices. Meritam ex sanguine, quem effudisti, & ignis cruciatu, quem pertulisti, læticiã percipe. Quot enim tunc supplicij spectatores erant, tot nunc honoris ministros habes: multis beneficijs indigemus: ***Tu legationis munere fungere, apud cõmunem regem pro patria tua.*** Martyris enim patria, est locus, vbi ille passus est, ciues, & fratres, et propinqui, qui reliquias eius ornant, qui tuentur, qui venerantur. Calamitates metuimus, pericula formidamus. Haud procul absunt exitiales Scytæ, qui contra nos machinantur

tur bellum. Vt miles, propugna, vt Martyr pro cõseruis vtere dicendi libertate. *Quanquam tu vitã hanc transcendisti, humanas tamen molestias & necessitates non ignoras.* Impetra nobis pacem, ne ipsę celebritates intermittantur, ne rabidus & sacrilegus Barbarus in templis & altaribus comessetur, ne sancta prophanus côculcet. Nos quidem, quo hactenus sarti tecti seruati sumus, *tibi acceptum referimus*, sed in posterum etiam securitatem postulamus. Quòd si maiore sit opus auxilio. *fratrum tuorum Martyrum chorum adhibe, & vna cũ omnibus supplica.* Multorum preces iustorum, nationum & populorum crimina diluant. Petrum admone, Paulum excita, Ioannem Theologũ dilectum discipulum aduoca, vt Ecclesiarum, quas constituerunt pro quibus catenas pertulerũt, pro quibus pericula & cædes perpessi sunt, solliciti curam suscipiant, ne cultus Idolorum contra nos caput extollat, ne hæreses tanquam spinę vineã supp pullulantes lædant, ne Zizania crescẽtia triticum suffocent, ne qua petra veri roris pinguedinẽ nobis excutiat. Sed tuæ precationis ope magnus fructuũ prouentus appareat, recteq; instituta Christianorum vita, tanquam in pingui atq; in frugifero solo, prẹclaram, & admirabilem ad finẽ vsq; segetem ferat, vnde nobis proueniat fructus ęternę vitæ, in Christo Iesu domino nostro.

IDEM.

Tu

Tu vero diuino assistens altari vitęq; principi ac sacrosanctę vna cum Angelis sacrificans trinitati, *omnium nostrum recordare, nobisq; peccatorum veniam impetra*, vt sempiterna regni cælestis beatitudine perfruamur in Christo Iesu. In vita Ephrẽ.

IDEM.

Verum abstergite mihi iam lachrymas, sentio enim me nimiũ muliebriter, dolori, & vltra quã ęquum sit, indulsisse. Sponsus nobis non est ereptus, hic in medio inter nos est, licet eum non videamus. In Adytis sacerdos est, ad interiora velaminis, quo pręcursor nobis Iesus introiuit, reliquit carnis exuuias. Non amplius similitudinẽ & vmbram cęlestium suspicit, sed ipsum rerum exemplar intuetur, non amplius per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem Deum alloquitur, & *erroribus nostris veniam implorat.* In vita Meletij.

S. GREGORIVS EPISCOPVS Nazanzenus.

Cęterum, nostra quocunq; Deo placuerint feruntur. *ferentur autẽ intercessionibus illius melius.* Cum ipso enim Basilio discessere animæ nõ paucæ, afflictionis & perturbacionis vi abreptę, quæ & tandem veluti itineris comites beatitudinem sunt assecutę. Eas ex feruentioribus quispiam recte victimas sepulchrates appellauerit: corpus vero vix effugit discerpentes, vicitque instaurantes pompam, sicq; sepulchro patrum suorum est illatus, Orõe in s. Basilium.

tus, ſacerdotibuſq; iunctus archiſacerdos, pręconi bus vox magna, et in auribus reſonans meis, Martyr, Martyribus. *Et nunc in cælis degit, ibiq; pro nobis, vt arbitror, ſacrificia offert, ac pro populo orat,* licet enim nos reliquerit, *non tamen omnino reliquit.* Vobis autem qui geſta eius celebratis, in primis conſulo, vt ſemper ad eum reſpiciatis, & tanquam ipſe viderit, & videatur, pręparemini ſpiritui. *Tu autem ſacrum ac diuinum caput, ex alto nos reſpice, & carnis ſtimulum, inſtructionem noſtram à Deo nobis datam, aut tuis ſiſte precibus,* aut fortiter me ferre perſuade, totamq; vitam nobis in melius permuta. Cum vero emigrabimus, nos ibi tuis excipe tabernaculis, quo ſimul viuentes, Trinitatem ſanctam & beatã pariter aſpiciamus purius, & perfectius, cuius nunc ſimulachrum mediocriter percipimus.

IDEM.

Orõe in ſ. Athanaſi. Athanaſium laudans, virtutem ipſam laudabo. Hunc enim ſolum nominare, virtutẽ ipſam eſt laudare, quoniam omnem virtutem in ſe comprehendens habebat, ſeu, vt rectius dicam, habet. Deo enim viuunt omnes, qui ſecundum Deum viuunt, etiam ſi hinc ſint digreſsi: quemadmodũ & Abrahã, & Iſaac, & Iacob audit, Deus ille Deus tanquam nõ Deus mortuorum ſit, ſed viuentiũ. *Tu autem è ſupernis propicius nos reſpice, & populũ hunc ſanctum dirige,* Trinitatis ſanctæ adoratorẽ,

quæ

quæ in patre & filio & ſancto veneratur ſpiritu, contemplationeque comprehenditur. *Et nos in pace quidem foue & compaſce*: in certamine autem dirige, & ſuſcipe, & cum temetipſo ſtatue: & ijs, qui tales ſunt, vt tu, etiam ſi magna ſit petitio.

IDEM.

Et vt ego mihi perſuadeo, *nunc magis proficit precibus*, quam antea doctrina, quanto etiã Deo eſt propinquior, poſtquam vincula depoſuit carnalia, & à materia quæ mentem turbabat, eſt liberatus, nudus cum nudo conuerſans, nempe cum mente pruna. Orõe funebri in mortẽ patris ſui.

IDEM.

Hæc igitur breuiter percurrimus, vt debitum illius honorem vel parumper delibaremus, reliqua vero à nobis ipſis adijciantur, quo & vos aliquid Martyrij offeratis, veluti demonum purgationem, morborum diſſolutionem, futurorũ cognitionem: *omnia poteſt Cyprianus*: & puluis cum fide, quemadmodum norunt ij: qui ſunt experti ac miraculum ad nos vſq; tranſmiſerunt, temporiq; tradiderunt, futuro. Proinde hæc tibi diuinũ, & ſanctum caput, à me ſint primitiæ, hic tibi ſermonum & certaminum honor. *Tu vero nos ab alto propitius reſpice*, noſtrumq; ſermonem ac vitã dirige, & ſanctum ouile hoc paſce, aut vna rege, ac reliqua, quantũ poſsibile eſt, ad meliora diſpone, moleſtoſq; lupos ſyllabarum, & verborum ve Oratione in ſ. Cypr.

natores illos abige, ac sanctę Trinitatis, cui nunc astas, splendorem nobis perfectiorem & clariorē gratificare: quam adoramus, quam glorificamus de cuius nos republica sumus, adorantes patrem in filio, filium vero in spiritu sancto, cui & paulo post assistemus synceriores, & illesi in Christo domino nostro.

IDEM.

Oratione ad eos qui classe ex Ægypto aduenerāt

Athanasius Episcopus, postquam multa certamina exanthlauit, *ab alto (recte noui) res inspiciēs nostras, manumq́; porrigens* ijs qui laborāt pro bono, & tanto plus, quanto magis à vinculis est liberatus.

IDEM.

Oratione in Iulianū

Nunquid magnos timuisti certatores, Ioannē illum, Petrum, Paulum, Iacobum, Stæphanū, Lucam, Andręam, Theclam quoq;, necnō alios, qui tam post, quam ante illos pro veritate sunt periclitati? quiq; contra ignem, ferrum, bestias, & tyrānos alacriter decertarunt, presentibusq; malis ac comminationibus, tanquam in alijs corporibus, aut corpore carentes, restiterunt? Cuius rei gratia? quò pietatem nec verbo quidem proderent. Quibus magni repositi sunt honores & panegyres, à quibus *dæmones expelluntur, infirmi sanātur, quorum sunt apparitiones, & liberationes, quorum etiam corpora solum, siue tacta, siue venerata eadē possunt, quæ & sanctæ animæ.* Quorum sanguinis asper-

aſperſiones,ſolum,& minima paſsionis ſymbola eadem faciunt,quæ & corpora. Hæc tu haud veneraris,ſed dedecore afficis.

S. Ephrem Edessenvs.

Precamur beatiſsimi Martyres qui pro Domino Saluatore,proq; illius charitate ſponte & impigre tormenta ſubijſtis,atq; ideo familiarius domino coniuncti eſtis,vt pro nobis miſeris & peccatoribus, & negligentiæ ſqualore ſordentibus, ***dominum interpellare dignemini***, vt ſuperueniat in nos gratia Chriſti,quæ corda noſtra radio ſanctæ claritatis illuſtret,vt ipſum toto corde diligere poſſumus. Vos nempe vere beati atq; glorioſi eſtis, quos Angeli & homines pari conſenſu beatos predicant. Nunc igitur o beatiſsimi viri,o glorioſiſsimi Martyres Dei,me miſerum ***veſtris iuuate precibus***, vt in illa hora miſericordiam conſequar,quando manifeſta erunt occulta hominũ. Sermone de Marty.

Idem.

Deus altiſsime qui ſolus ſine peccato es,tribue mihi peccatori gratiam in illa hora propter multas miſerationes tuas: & nec tunc appareat, quæ nũc velata eſt impietas mea, coram ſpectantibus Angelis & Archangelis, Prophetis & Apoſtolis, iuſtis & ſanctis,ſed ſalua me impiũ gratia & miſeratione tua,& induc me in paradyſum deliciarum cum omnibus perfectis. Suſcipe obſecrationem ſerui tui Domine; ***precibus omnium ſancto-*** Lib. de pœnitentia.

rum tuorum, qui tibi à sæculo placuerunt.

IDEM.

Eodem Libro.

Precibus Dei genetricis semper virginis & exercitus cælestium, ac cœtus Angelorum Cherubin, Seraphin, Prophetarum, Martyrum, Hierarcharũ sanctorum, studiosorum intercessionibus, & omnium beatorum supplicationibus, miseræ tuę creaturæ Deus clementissime.

S. AGAPETVS ANACHORETA.

Vide in Vitis patrũ, vitam sctę Eufrosinę.

Eufrosina sponsa Christi & filia sanctorũ, ne obliuiscaris seruorum tuorum, & huius monasterij, sed *ora pro nobis Deum nostrum Christũ Iesum*, vt faciat viriliter certando venire ad portum salutis, & portionem secum habere, & cum omnibus sanctis.

S. AMBROSIVS EPISCOPVS.

Lib. de Viduis.

Deniq; cum socrus Symonis magnis febribus detineretur, Petrus & Andręas rogauerunt dominum pro ea: Et stans super illam, imperauit febri, & remisit illam, & continuo surgens, ministrabat illis. Magnis (inquit) tenebatur febribus, & rogauerunt illum pro ea. Eu tu habes proximos, *qui Deo pro te supplicent. Habes Apostolos proximos, habes Martyres proximos*, si ipsa Martyribus societati, misericordiæ quoque muneribus appropinques: Proximus est enim, qui misericordiam facit Fac & tu misericordiam, & eris Petro proxima.

Non

Non sanguinis necessitudo, sed virtutis cognatio facit proximos: quia non in carne ambulamus, sed in spiritu. Ama ergo propinquitatem Petri, affinitatem Andreæ, *pro te rogent*, & recedant cupiditates tuæ verbo Dei pulsæ. Surgas ilico, quæ in terris iacebas, vt Christo ministres. Nostra enim conuersatio in cælis est, vnde & saluatorem expectamus Dominũ Iesum. Nemo enim iacẽs, Christo ministrat. Ministra pauperi, & ministras Christo. Quod enim vni horum fecistis, mihi (inquit) fecistis. ***Habetis ergo viduæ auxilium, si tales vobis generos posteritatis vestræ patronos, tales proximos eligatis.*** Ergo rogauerunt pro vidua Petrus & Andreas. Vtinam existat aliquis qui tam cito possit rogare pro nobis, vel certe *iste qui pro socru rogat Petrus, & Andræas frater eius*: tũc enim pro affinitate poterant, ***nunc iam possunt pro nobis & pro omnibus impetrare.*** Videtis enim quod pro magno peccato obnoxia minus idonea sit quæ pro se precetur, certe quæ pro se impetret. ***Adhibeat igitur ad medicũ alios precatores.*** Ægri enim, nisi ad eos aliorum precibus fuerit inuitatus, medicus, pro se rogare non possunt. Infirma est caro, mens ægra est, & peccatorum vinculis impedita, ad medici illius sedem debile non potest explicare vestigium. ***Obsecrandi sunt Angeli pro nobis qui nobis ad præsidium dati sunt: Martyres obsecrãdi***, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vindicare. ***Possunt pro pecca-***

tis rogare noſtris,qui proprio ſanguine etiã ſi quæ habuerunt peccata lauerunt. Iſti enim ſunt *Dei Martyres,noſtri præſules,ſpeculatores vitæ,actuũq; noſtrorum. Non erubeſcamus eos interceſſores noſtræ infirmitatis adhibere*, qui & ipſi infirmitatem corporis etiam cum vincerent cognouerunt. Inuenit ergo Petri ſocrus qui pro ſe rogarent. Et tu vidua inuenis *qui pro te ſupplicent*,ſi quaſi vere vidua & deſolata in Deum ſperes, inſtes obſecrationibus, inſiſtas orationibus, afficias corpus tuum quaſi quotidie moriens,vt moriendo reuiuiſcas. Sublata eſt tibi cauſa nubendi,*habes qui pro te intercedant*,ne dixeris,deſtituta ſum.

IDEM.

Oratione funebri in fratrem Satyrum.

Tuis enim votis *apud ſanctum Martyrem Laurentium impetratum eſſe,nunc cognouimus commeatum*, atq; vtinam non ſolum commeatum, ſed etiam prolixum vitæ tempus rogaſſes.Potuiſti annos plurimos *impetrare viuendi*,qui potuiſti commeatum impetrare veniendi. Sed prius vltimum coram populo vale dico,pacem prędico,oſculum ſoluo. Pręcede ad illam communem omnibus & debitam,ſed iam mihi prę cęteris deſiderabilẽ domum. Para hoſpiti conſortium, & quemadmodum hic omnia nobis fuere communia, ita illic quoq; ius diuiduum neſciamus. Ne quæſo cupientem tui diu differas,properantem expecta,*feſtinantem adiuua*, & ſi diutius tibi morari videbor, accerſi.

IDEM.

Quod si in hoc erro, quia Angelis me post mortem sociari malo quam bestijs, libenter in hoc erro: neq; vnquam hac me opinione dū viuo, fraudari patiar. Quid enim mihi superest solatij, quā quod me citius ad te frater spero venturum, nec digressus tui inter nos longa diuortia fore, *tuisq; intercessionibus mihi hoc posse conferri*, vt citius tui desiderantem aduoces? Lib. de fide Resurrectionis.

IDEM.

Non mediocre etiam dogma quod ait: Vox sanguinis fratris tui ad me clamat, quia Deus iustos suos audit, *etiam mortuos, quoniam Deo viuunt.* Et merito pro viuentibus habentur, quia etiam si corporis gustauerunt mortem, vitam tamen incorpoream capiunt, & illuminantur suorum splendore meritorum, luce quoq; fruuntur æterna. Iustorum ergo audit & sanguinem, auertit se autem à precibus impiorum, quoniam etiā si videantur viuere, miseriores tamen sunt, omnibus mortuis, carnem suam sicut tumulum circūferentes, cui infœlicem infoderunt animam suā. Libr. 2. de Cain & Abel.

IDEM.

Cognouistis, imo vidistis ipsi multos à dæmonijs purgatos. Plurimos etiam vbi vestem sancto rum manibus contigerunt, his quibus laborabāt debilitatibus absolutos. Reparata vetusti corpo- Lib. Epist. 10. epist. 85.

ris miracula, quo se per aduentũ domini Iesu gratia terris maior infuderat, *vmbra quadam sanctorum corporum plerosq; sanatos cernitis.* Quanta oraria iactitantur? quanta indumenta super reliquias sacratissimas, *vt tactu ipso medicabilia reposcantur?* Gaudent omnes extrema linea contingere, & qui contigerit, saluus erit. Gratias tibi domine Iesu, quod hoc tempore tales nobis sanctorum Martyrum spiritus excitasti, *quo Ecclesia tua præsidia maiora desiderat*, Cognoscant omnes *quales ego propugnatores requiram, qui propugnare possint*, impugnare non soleant. Hos ergo acquisiui tibi plebs sancta, *qui prosint omnibus*, nemini noceant. *Tales ergo ambio defensores*, tales milites habeo: quorum quo maiora, eo *tutiora patrocinia sunt.* Horum etiam illis ipsis qui mihi inuident, *opto præsidia.* Veniant ergo & videant stipatores meos, talibus me armis ambiri non nego. Hi in curribus & hi in equis, nos autem in nomine domini Dei nostri magnificabimur. Hæliseum diuinæ scripturæ series refert, cum ab exercitu Syrorum esset obsessus, dixisse timenti seruulo, ne timeret, quia plures (inquit) pro nobis sunt, quàm contra nos. Et vt hoc probaret, petisse vt oculi Giezi aperirentur, quibus apertis, innumeros adesse vidit, Prophetæ exercitus angelorum. Nos & si eos videre non possumus, *sentimus tamen.* Idq; trepidantibus nobis quasi dixerit Dominus, aspicite quantos vobis Martyres dederim, ita reseratis

oculis

oculis gloriam Domini ſpeculamur quæ eſt martyrum paſsione prętcrita,& *operatione præſens.* Euaſimus fratres non mediocrem pudoris ſarcinam, *patronos habebamus* & neſciebamus. Inuenimus vnũ hoc quo videamur pręſtare maioribus. SanctorumMartyrum cognitionem quam illi amiſerunt,nos adepti ſumus. Eruuntur nobiles reliquiæ ſepulchro ignobili, oſtenduntur cælo trophęa. Sanguine tumulus madet, apparet cruor triumphalis,notæ inuiolatæ, reliquiæ loco ſuo & ordinatę repertę,auulſum humeris caput. Nunc ſenes repetunt audiſſe ſe aliquando horum Martyrum nomina,titulumq; legiſſe,perdiderat ciuitas ſuos Martyres,quæ rapuit alienos. Et ſi hoc Dei munus eſt, tamẽ gratiam quam temporibus ſacerdotij mei Dominus Ieſus tribuit, negare nõ poſſum quia ipſe Martyr eſſe nequeo, hos vobis Martyres acquiſiui. Succedant victimæ triũphales in locum vbi Chriſtus hoſtia eſt: Sed ille ſuper altare, qui pro omnibus paſſus eſt, iſti ſub altari, qui illius redempti ſunt paſsione. Hunc ego locum prędeſtinaueram mihi. Dignum eſt enim vt ibi requieſcat ſacerdos,vbi offerre conſueuit. Sed cædo ſacris victimis dexteram portionem, locus iſte Martyribus debebatur. Condamus ergo reliquias ſacroſanctas, & dignis ædibus inuehamus, totumq; diem fida deuotione celebremus. Acclamauit populus, vt in diem dominicũ differretur Martyrum depoſitio,ſed tandem obtentum,vt ſe

quenti fieret die. Sequenti die talis mihi ad populum iterum sermo fuit.

IDEM.

Sermōe 91 Hesterno die tractaui versiculum, dies diei eructat verbum, prout nostri tulit captus ingenij, hodie mihi non solum superiore tempore, sed præsenti quoq; prophetasse videtur scriptura diuina. Nam cum diebus ac noctibus continuatam videam sanctitatis vestræ celebritatem, istos esse dies prophetici carminis, oracula declarauere hesternum atq; hodiernum, de quibus oportunissimè dicitur: Dies diei eructat verbum, & istas noctes de quibus aptissimè disputatur, quia nox nocti indicat scientiam. Quid enim aliud hoc biduo, nisi verbum Dei intimo eructastis affectu, & sciētiam vos habere fidei probauistis? Cui tamen celebritati vestræ qui solent inuident. Et quia celebritatem vestram inuidis animis ferre nō possunt causam celebritatis odere, *atq; amentiæ in tantum prodeunt, vt negent Martyrum merita, quorum opera etiam dæmones confitentur.* Sed hoc non mirum. Siquidem tanta est incredulorum perfidia, vt tolerabilior sit diaboli plerumq; confessio. Dicebat enim diabolus: Iesu fili Dei viui, quid venisti ante tempus torquere nos? Et cum hæc audirent Iudæi, ipsi tamen Dei filium denegabant. Et nunc *audistis clamantes dæmones & confitentes* Martyribus quod pœnas ferre non possent & dicentes:

centes: Quid venistis vt ante tempus nos tam grauiter torqueatis? Et Arriani dicunt: Non sunt isti Martyres, nec torquere diabolum possunt, nec aliquem liberare, cum tormenta dęmonium ipsorum voce probentur, & *beneficia Martyrum, remedijs cæcorum & absolutorum iudicijs declarentur.* Negant cæcum illuminatum, sed ille non negat se sanatum. Ille dicit: Video qui non videbam. Ille dicit: Cæcus esse desiui & probat facto. Isti beneficium negant, qui factum negare nō possunt. Notus homo est, publicis cum valeret mancipatus obsequijs, Seuerus nomine, Lanius ministerio. Deposuerat officium, postquam inciderat impedimentum. Vocat ad testimonium homines, quorum ante sustentabatur obsequijs. Clamat, quia vt contigit fimbriam de veste Martyrū qua sacrę reliquię vestiuntur, redditum sibi lumē sit. Nonne simile illud est quod in Euangelio legimus: Vnius autem potentiam laudamus auctoris: nec interest vtrum opus sit, an munus, cū & muneretur in opere, & operetur in munere. Quod enim alijs faciendum donauerit, hoc in aliorum opere nomen eius operatur. Legimus ergo in Euangelio, Iudæos cum viderent in illo cæco sanitatis remedium, requisisse parentum testimonium. Interrogabant: Quomodo videt filius vester? Cum ille diceret, Cæcus cum essem, modo video. Hoc & iste dicit: Cæcus fui, & modo video. Interrogate alios si mihi non creditis, interroga-

rogate extraneos,ne adstipulari mihi parentes pu tetis. Detestabilior istorum quam Iudæorum pertinacia. Illi cum dubitarent, vel parentes interrogabant. Isti occultè interrogant, palam negant, iam non operi increduli,sed auctori. Sed quęro quid non credant. Vtrum *à Martyribus possunt aliqui visitari, hoc est Christo non credere.* Ipse enim dixit: Et maiora his facietis. An ab istis Martyribus,*quorum merita iam dudũ vigent,* corpora dudum reperta sunt? Quęro hic vtrum mihi, an sanctis Martyribus inuideant?Si mihi,nũquid à me aliquæ virtutes fiunt? Si Martyribus (restat enim vt si mihi non inuident, Martyribus inuidere videantur) ostendunt alterius fidei fuisse Martyres,quàm ipsi credunt. Neq; enim aliter eorum operibus inuiderent, nisi fidem in his fuisse eam,quam isti non habent,indicarent. Fidem illam maiorum traditione firmatam, quam dęmones ipsi negare non possunt,sed Arriani, negant. Audiuimus hodie dicentes eos quibus manus imponebantur, neminem posse esse saluum qui patrem & filium & spiritum sanctum negaret, qui Trinitatis omnipotentem virtutem non crederet,confitetur hoc diabolus, sed Arriani nolunt fateri. Dicit diabolus,sic torqueatur quemadmodũ ipse à Martyribus torquebatur, qui spiritus sancti Deitatem negarit. Non accipio diaboli testimonium,sed confessionem. Inuitus dixit diabolus,& exactus & tortus. Quod nequitia
sup-

ſupprimit,extorquet iniuria. Cędit diabolus plagis,& adhuc cędere neſciũt Arriani. Quanta perpeſsi ſunt, & quemadmodum Pharao malis ſuis indurantur. Dicebant hodie & ſuperiore die vel nocte dęmones. Scimus quia Martyres eſtis. Et Arriani dicunt: Neſcimus, nolumus intelligere, nolumus credere. Dicunt dęmones Martyribus: Veniſtis perdere nos? Arriani dicunt: Non ſunt dęmonum vera tormenta,ſed ficta & compoſita ludibria. Audiui multa componi,hoc nemo fingere potuit vt dęmonem ſe eſſe ſimularet. Quid illud quod ita exagitari eos videmus quibus manus imponitur? Vbi hic locus fraudi eſt? Vbi ſuſpitio ſimulandi? Sed non ego ad ſuffragiũ Martyrum vſurpo vocem dęmoniorũ. Beneficijs ſuis ſacra paſsio comprobetur. Habet indices,ſed purgatos: habet teſtes,ſed abſolutos. Melior vox eſt quam ſanitas loquitur eorum qui debiles aduenerunt. Melior vox eſt,quam ſanguis emittit. Habet enim ſanguis vocem canoram, quæ de terris ad cœlum peruenit. Legiſtis dicente Domino, ſanguis fratris tui clamat ad me. Et hic ſanguis clamat coloris inditio, ſanguis clamat operationis pręconio ſanguis clamat paſsionis triumpho. Satisfactum eſt petitioni veſtræ, vt contendas heſterno die, in hodiernũ diẽ differemus reliquias.

IDEM.

Oratione in Auxentiũ de tradendis Baſilicis.

Seruum Chriſti non cuſtodia corporalis, ſed domi-

dominii prouidentia tempore contuentur. Turbati estis quia apertas reperitis gemmarum fores, quas captus oculis quidam dum hospitium proprium repetit, patefecisse memoratur. In quo cognoscite, quod nihil suffragetur humana custodia. Ecce vnus qui videndi munus amisit, soluit vniuersa vestra munimina, & custodias lusit. Dominus autem suæ misericordiæ custodiam non amisit. Sepserunt nempe armati basilicam, explorabant hos atque illos aditus. Cæcitate perfusi sunt vt quod apertum erat, videre non possent. Itaq; per plures noctes quod apertum fuerit, non ignoratis. Desinite ergo sollicitari: quia hoc erit quod Christus iubet, & hoc esse expedit. Deniq; exempla vobis legis proferam. Heliseus quærebatur a Rege Syriæ, missus erat exercitus qui eum caperet, circumuallatus erat vndique, cæpit timere eius seruulus, quia seruulus erat, hoc est, non erat liberæ mentis, & liberæ potestatis. Petiuit aperiri eius oculos sanctus Propheta, & ait. Respice & vide quanto plures sint pro nobis, quam contra nos. Et respexit, & vidit Angelorum milia. Aduertitis igitur *quod seruulos Christi ij magis custodiant, qui non videntur*, quam qui videntur. Sed & illi si custodiunt, *vestris custodiunt orationibus aduocati.*

IDEM.

Lib. 10. in Lucã. ca. [illegible]

Mortuis regibus, in perpetuum Martyres regnum cælestis gratiæ honore succedunt, & *illi sunt supplices, hi patroni.*

Idem

IDEM.

Vnde te euocem Petre, vt doceas me quid flens cogitaueris? Vnde, inquam, te euocem? De cælo, vbi iam choro insertus es Angelorum: an etiam de tumulo? quia non putas iniuriam ibi esse, vnde Dominus resurrexit. Eodem li. cap. 22.

IVLIANA VIDVA.

Considera quis te *vt nascereris iuuerit:* filius es votorum magis quam dolorum meorum. Considera cui te muneri pater tali nomine designauerit, qui vocauit Laurentium. *Ibi vota deposuimus* vnde nomen assumpsimus. *Vota effectus secutus est*, redde Martyri, quod debes Martyri. *Ille te nobis impetrauit*, tu restitue ei quod de te huiusmodi appellatione promisimus. Vide Ambrosij Exhortat. ad Virgines.

AVRELIVS PRVDENTIVS.

Hymno in s. Laur.

Videor videre illustribus
Gemmis coruscantem virum:
Quem Roma cælestis sibi
Legit perennem consulem.
Quæ potestas sit credita
Et muneris quantum datum
Probant quiritum gaudia
Quibus rogatus annuis.
Quod quisq; supplex postulat
Fert impetratum prospero
Poscunt, litantur, indicant
Et tristis haud vllus redit.

Ceu prǫsto semper assies.
Tuosque alumnos vrbicos
Lactante complexus sinu.
Paterno amore nutrias.
Hos inter ò Christi decus
Audi Poetam rusticum
Cordis fatentem crimina
Et facta prodentem sua.
Indignus agnosco & scio
Quem Christus ipse exaudiat
Sed per patronos Martyres
Potest medelam consequi.
Audi benignus supplicem,
Christi reum Prudentium.
Et seruientem corpori
Absolue vinclis sæculi.

IDEM.

Hymno in S. Vincentium.

Ad esto nunc & percipe
Voces precantum supplices
Nostri reatus efficax
Orator ad thronum patris.
Per te, per illum carcerem
Honoris augmentum tui
Per vincla, flammas, vngulas,
Per carceralem stipitem.
Per fragmen illud testeum,
Quo parta creuit gloria
Per quem trementes posteri
Exosculamur lectulum,

Misere-

Miſerere noſtrarum precum
Placatus vt Chriſtus ſuis
Inclinet aurem proſperam
Noxas nec omnes imputet.
Pauliſper huc tu illabere,
Chriſti fauorem deferens
Senſu grauati vt ſentiant.
Leuamen indulgentiæ.

IDEM.

Agnes ſepulchrum eſt Romulea in domo
Fortis puellæ, Martyris inclitæ,
Conſpectu in ipſo condita turrium
Seruat ſalutem virgo Quiritium:
Necnon & ipſos protegit aduenas
Puro ac fideli pectore ſupplices.
O virgo felix, ò noua gloria,
Cœleſtis arcis, nobilis incola.
Intende noſtris colluuionibus,
Vultum gemello cum diademate,
Cui poſſe ſoli cunctiparens dedit
Caſtum vel ipſum reddere fornicem
Purgabo roris propitiabilis
Fulgore, noſtrum ſi iecur impleas:
Nil non pudicum eſt, quod pia viſere
Dignaris, almo vel pede tangere.

Hymno in ſ. Agnē.

IDEM.

Confrequentant obſecrantes
Voce, votis, munere,

Hymno in ſ. Martyres Calaguritanos.

Exteri necnon & orbis
Huc colonus aduenit.
Fama nam terras in omnes
Pręcucurrit proditrix
Hic patronos esse mundi
Quos precantes ambiant.
Nemo puras hic rogando
Frustra congessit preces,
Letus hinc tersis reuertit
Supplicator fletibus.
Omme quod iustum poposcit
Impetratum sentiens:
Tanta pro nostris periclis
Cura suffragantium est.
Non sinant, mane vt vllus
Voce murmur fuderit
Audiunt, statimque ad aurem
Regis æterni ferunt.
Inde larga fonte ab ipso
Dona terris influunt,
Supplicum causas petitis
Quæ medelis irrigant.
Nil suis bonus negauit
Christus vnquam testibus,
Testibus, quos nec catenæ
Dira mors nec terruit.

In Marty.
…esar Au

IDEM.

Hæc subaltari sita sempiterno

Lap-

Lapsibus nostris veniam precatur
Turba quam seruat procerum creatrix
Purpureorum.
Nos pio fletu, date, perluamus
Marmorum fucos quibus est operta
Spes, vt absoluam retinaculorum
vincla meorum.

IDEM.

Hæc sunt quæ liquidis expressa coloribus hospes Hymn.in s.Cassia. Martyrē.
Miraris, ista est Cassiani gloria
Suggere si quod habes iustum vel amabile votum,
Spes si qua tibi est, si quid intus æstuas,
Audit crede preces Martyr prosperrimus omnes
Ratasque reddit quas videt probabiles.
Pareo, cōplector tumulū, lachrymas quoq; fūdo.
Altar tepescit ore, saxum pectore.
Tunc arcana mei percenseo cuncta laboris:
Tunc quod petebam, quod timebā murmuro
Et post terga domum dubia sub sorte relictam
Et spem futuri forte nutantem boni
Audior, vrbem adeo, dextris successibus vtor
Domum reuertor, Cassianum prędico.

IDEM.

Desine flere bonum tantū, tenet ille regna cœli. ***Nec minus inuolitat terris, nec ab hoc recedit orbe.*** Disserit, eloquitur, tractat, docet, instruit, prophetat. Nec Lybiæ populos tantum regit, exitusque in ortum, Solis, & vsq; obitum, Gallos fouet Hymn.in s.Cyprianum.

imbuit Britannos. Præſidet Heſperiæ, Chriſtum ſerit vltimis Hiberis. Denique doctor humi eſt, idem quoq; Martyr in ſupernis inſtruit hic homines, ***illinc pia dona dat patronus.***

S. NECTARIVS EPISCOPVS Conſtantinopolitanus.

Oratione propter q̃ cauſam in primo ſabbato ſanctorũ ieiuniorum celebratur memoria. ſ. Theod.

Nos autem Martyrem laudemus, ijs quibus par eſt laudibus, & miraculi ſemper recentem memoriam in nobis circumferentes, glorioſo Martyri fideliter exclamemus. *O ſplendor Martyrum*, & decus ſanctorum. O vere Dei, donum. O cuſtos & inuictiſsime defenſor fidelium, ***ne obliuiſcaris noſtræ paupertatis, & humilitatis, ſed ſemper pro nobis intercedere ne te pigeat***, ò vir imprimis admirãde, nec nos qui cotidie ab animarum noſtrarum qui cadit in intelligentiam Iuliano, nempe qui & tunc & nunc eſt auctor mali, inimico oppugnamur, deſpicias ò vir maxime venerande. Te enim poſt mortem credimus viuere, vt dominus dixit, dicens. Qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit viuet. Tu autem qui non ſolum credidiſti, ſed etiam pro eo ipſo es mortuus, ò merito laudande Martyr, in Deo viuis, vita in quam non cadit ſenium, & quæ non terminatur. Vt qui ergo in Chriſto viuas, & ſtes prope eum, ***redde eum tuis precibus propitium tuis famulis***, vt per te liberati ab ijs quæ hic ſunt moleſtijs, quæ illic ſunt bona conſequamur, Dñi noſtri Ieſu Chriſti gratia & humanitate.

S.Cy-

S. CYRILLVS HIEROSOLIMI-tanus Episcopus.

Cum hoc sacrificiũ offerimus, postea facimus mentionem etiam eorum, qui ante nos obdormierunt, Primum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, *vt Deus orationibus illorum & deprecationibus suscipiat preces nostras.* Cathe. 5.

GREGORIVS PRESBYTER.

Tu vero pater beate, scenæque veræ spectator, & Mysta, vbi voce exultationis & salutis, Angeli cum sanctis Deum collaudant, *tui memor sis Gregorij*, qui hæc breuiter est philosophatus. Etenim si dum hæc apud te proloquor ob virium etiã defectum, dignitate destituor, animi tamen, promptitudine inobedientiæ me culpam euitaturũ spero. Siquidem non minus ad te, quam ad Deum ipsum sacra vox illa pertinet, acceptum esse quidquid fit pro viribus. Oratione in s. Grego. Nazã.

S. HIERONIMVS PRESBYTER.

Non mihi videtur in calce libri tacenda Constantiæ illius sanctissimæ mulieris deuotio, quæ perlato ad se nuntio, quod corpusculum Hilarionis Palestinæ esset, statim exanimata est, veram in seruum Dei dilectionem etiam morte comprobans. Erat enim solita peruigiles in sepulchro eius noctes ducere & *quasi cum præsente ad adiuuãdas orationes suas sermocinari*, Cernas vsq; hodie In vita. S. Hilarionis

miram inter Palestinos & Cyprios contentionẽ: his corpus Hilarionis,illis spiritum se habere certantibus. Et tamen in vtriusq; locis magna quotidie signa fiunt, sed magis in hortulo Cypri,forsitan quia plus illum locum dilexerit.

IDEM.

In Epithapio Paulę

Vale ò Paula,& *cultoris tui vltimam senectutẽ orationibus iuua.* Fides & opera tua Christo te sociant, *presens facilius quod postulas impetrabis.* Exegi monumentum tuum ære perennius,quod nulla destruere possit vetustas.

IDEM.

In vita Blesillę.

Quas nunc existimas Blesillam nostram pati cruces,quæ ferre tormenta, quod tibi Christũ videat subiratum? Clamat nunc' genti, si vnquã me amasti mater, si tua vbera suxi,si in tuis instituta sum monitis,ne inuideas gloriæ meæ: nec hoc agas,vt à nobis inperpetuum separemur.Putas me esse solam? Habeo pro te Mariam matrẽ Domini. Multas hic video,quas ante nesciebam O quanto melior est iste comitatus. Habeo Annam quondam in Euangelio prophetantem: & quo magis gaudeas,tantorum annorum labores ego in tribus mensibus consequuta sum. Vnam palmam castitatis accepimus: Misereris mei,quia mundum reliqui? At ego vestri sortem doleo, quos adhuc sæculi carcer includit, quos quotidie in acie preliantes,nunc ira,nunc auaritia, nunc li

bido,

bido,nunc variorum incentiua vitiorum,pertrahunt ad ruinā. Si vis, vt mater mea sis: cura placere Christo. Non agnosco matrem, meo Domino displicētem. Loquitur illa & alia multa,quæ taceo,*& pro te dominum rogat, mihique vt de eius mente securus sim, veniam impetrat peccatorum:* quod monui, quod hortatus sum, quod inuidiā propinquorum,vt salua esset,excepi.

IDEM.

Sicut murus hosti opponitur, & aduersario occurri solet ex aduerso contraq; venienti: ita *Dei sententia sanctorum precibus frangitur.* Libro.4. Commē. in Ezechi. cap.1.

IDEM.

Extiterunt qui *virtutes egregias & cœlestes,per sanctorum reliquias, iam vtiq; nostris temporibus operantes,*maluerunt detractione mordere,quam veneratione suscipere,antiquum venenum Iudaicæ infidelitatis euomentes: in qua potestate hæc facis,& quis tibi dedit hanc potestatem? Recitabant enim nobis iuxta positis quæ diuinis & beatissimis Geruasio et Prothasio infidelitas stulta loquebatur. Quid est quod ex eo quod Martyres sunt, virtutum dona meruerunt? Cur tam tarde, quod iam pridem illis concessum est,exercetur? Tepida,vt arbitror,consolatio & liuore generata quærere an diuinum sit, quod videas esse diuinū, & rationem poscere,cum sit necesse credere,& cū Apostolus dicat: Charitas omnia credit,quis du- Lib. de viro perfect.

bitat, quod ſine charitate ſunt qui fidē tantis nō applicauere virtutibus ? Quaſi non manifeſtum ſit in ea *ſanctos Martyres nunc in ſpiritu miracula facere*, in qua poteſtate aduerſarios ſuos prius in carne & in paſsione vicerunt.

IDEM.

Epiſto. ad Riparium

Acceptis primum literis tuis non reſpondere, ſuperbiæ eſt, reſpondere, temeritatis. De his enim rebus interrogas, quas & proferre & audire ſacrilegum eſt. Ais vigilantium, qui hoc vocatur nomine, (nam dormitantius rectius diceretur) os fetidum rurſus aperire, & putorem ſpurciſsimū *contra ſanctorum Martyrum proferre reliquias*, & nos qui eas ſuſcipimus, appellare cinerarios & idololatras, qui mortuorum hominum oſſa veneremur. O infœlicem hominem, & omni lachrymarum fonte plangendum: qui hæc dicens, non ſe intelligat eſſe Samaritem & Iudæum, qui corpora mortuorum pro immundis habent: Nos autē non dico Martyrum reliquias, ſed ne ſolem quidem & lunam non Angelos non Archangelos, non Cherubin, non Seraphin, & omne nomen quod nominatur & in preſenti ſæculo, & in futuro, colimus & adoramus : ne ſeruiamus creaturæ potius quam creatori, qui eſt benedictus in ſæcula. *Honoramus autem reliquias Martyrum*, vt eū, cuius ſunt Martyres, adoremus. Honoramus ſeruos, vt honor ſeruorum redundet in dominum,

qui

qui ait: Qui vos suscipit, me suscipit. Ergo Petri & Pauli reliquiæ immundæ sunt? Ergo Moysi corpusculum immundum erit quod iuxta hebraicam veritatem ab ipso sepultum est domino? Et quotiescunq; Apostolorum & Prophætarum, & omnium Martyrum basilicas ingredimur, toties Idolorum templa veneramur? Accensiq; ante tumulos eorum cerei idololatriç insignia sunt? Plus aliquid dicam, quod redundet in autoris caput, & insanum cerebrum vel sanet aliquando vel deleat, ne tantis sacrilegijs simpliciũ animæ subuertantur. Ergo Domini corpus in sepulchro positum, immundum fuit? Et Angeli, qui candidis vestibus vtebantur, mortuo cadaueri atq; polluto præbebant excubias, & post multa sæcula dormitantius somniaret, immo eructaret immundissimam crapulam: & cum Iuliano persecutore sanctorum basilicas aut destrueret, aut in templa cõuerteret. Miror sanctum Episcopum in cuius Parochia esse Presbyter dicitur acquiescere furori eius, & non virga Apostolica, virgaq; ferrea confringere, vas inutile, & tradere in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat. Si non sunt honorandæ reliquiæ Martyrum, quomodo legimus, Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorũ eius? Si ossa eorum polluant contingentes, quomodo Elisæus mortuus, mortuum suscitauit, & dedit vitam corpori, quod iuxta Vigilantiũm iacebat immundum? Ergo omnia castra Israelitici exerci-

tus & populi Dei fuere immunda: quia Ioſeph & Patriarcharum corpora portabant in ſolitudine: & ad ſanctam terram immundos cineres pertulerunt? Ioſeph quoque in Typo præcedens Domini, Saluatoris noſtri, ſceleratus fuit, qui tanta ambitione Iacob in Hebron oſſa portauit, vt immũdum patrem, auo & atauo ſociaret immundis, & mortuum mortuis, copularet? O præcidendã linguam à medicis, imo inſanum curandum caput, vt qui loqui neſcit, diſcat aliquando reticere. Ego vidi aliquando hoc portentum & teſtimonijs ſcripturarum, quaſi vinculis Hippocratis volui ligare furioſum: ſed abijt, receſsit, euaſit, erupit, & inter Hadriæ fluctus, Cotijq; Regis alpes, in nos declamando clamauit. Tacita me forſitan cogitatione reprehendas, cur in abſentem inuehar. Fatebor tibi dolorem meum, ſacrilegium tantum audire non poſſum. Legi enim Syromaſten Phinees, auſteritatem Heliæ. Zelum Simonis Cananęi, Petri ſeueritatem, Ananiam & Sapphiram trucidantis, Pauliq; conſtantiam qui Elymam Magũ vijs Domini reſiſtentem, æterna cecitate damnauit. Non eſt crudelitas pro Deo, ſed pietas. Vnde & in lege dicitur. Si frater tuus & amicus, & vxor quæ eſt in ſinu tuo te deprauare voluerit à veritate: ſit manus tua ſuper eos, & effunde ſanguinem eorum, & auferes malum de medio Iſrael. Ergo Martyrum immundæ ſunt reliquiæ. Et quid paſſi ſunt Apoſtoli, vt immundum Stephani corpus

tanta

tanta funeris ambitione præcederent: vt facerent ei planctum magnum, vt eorum luctus in nostrũ gaudium verteretur? Nam quod dicis eum vigilias execrari, facit & hoc contra vocabulum suũ, vt velit dormire Vigilantius, & non audiat saluatorem dicentem, sic non potuisti vna hora vigilare mecum?

IDEM.

Exortus est subito Vigilantius, seu verius Dormitantius, qui immundo spiritu pugnet contra Christi spiritum, & Martyrum neget sepulchra veneranda: damnandas dicat esse vigilias, nunquã nisi in Pascha Alleluia cantandum, continentiã hæresim, pudicitiam, libidinis seminarium. Et quomodo Euphorbus in Pythagora renatus esse perhibetur, sic in isto Iouiniani mens praua surrexit, vt & in illo, & in hoc diaboli respondere cogamur insidijs. Ille Romanæ Ecclesiæ authoritate damnatus, inter phasides aues & carnes suillas non tam emisit spiritum, quam eructauit. Iste caupo Calaguritanus & in peruersum, propter nomen viculi mutus. Quintilianus miscet aquã vino: & de artificio pristino, suæ venena perfidię Catholicæ fidei sociare conatur, impugnare virginitatem, odisse pudicitiam, in conuiuio secularium contra sanctorum ieiunia declamare: dum inter phialas philosophatur: & ad placentas liguriens, psalmorum modulatione mulcetur: vt tantũ inter

Contra errores Vigilantij.

ter epulas, Dauid & Idithum, & Asaph, filiorum Choræ cantica audire dignetur. Hęc dolentis magis effudi animo, quam ridentis, dum me cohibere non possum, & iniuriam Apostolorum ac Martyrum surda nequeo aure transire. Authores sunt huius dictatiunculæ meæ sancti Presbyteri, Ripa rius & Desiderius, qui Parochias suas vicinia isti- us scribunt esse maculatas: miseruntq; libros per fratrem Sisinnium, quos inter crapulam stertens euomuit. Et asserunt repertos esse nõnullos, qui fauentes vitijs suis, illius blasphemijs acquiescunt Galliæ vernaculum hostem sustinent, & hominẽ moti capitis, atq; Hippocratis vinculis alligandũ sedentem cernunt in Ecclesia, & inter cætera verba blasphemiæ, ista quoque dicentem. Quid necesse est tantopere nõ solum honorare, sed etiam adorare, illud, nescio quid, quod in modico vasculo transferendo colis? Et rursum in eodem libro. Quid puluerem linteamine, circundatum, adorãdo oscularis? Et in consequentibus: Prope ritum Gentiliũ videmus sub prætextu religionis introductum in Ecclesijs, sole adhuc fulgente, moles cereorum & vbicunq; puluisculum nescio quod, in modico vasculo, pretioso linteamine circundatum osculantes, adorant? Magnum honorem prebent huiuscemodi homines beatissimis Martyribus, quos putant è vilissimis cereolis illustrandos, quos agnus qui est in medio throni, cũ omni fulgore maiestatis suæ illustrat. Quis enim (ò insanum

num

num caput) aliquando Martyres adorauit ? quis hominem putauit Deum ? Nonne Paulus & Barnabas cũ à Lycaonibus Iupiter & Mercurius putarentur, & eis vellent hostias immolare, sciderũt vestimenta sua, & se homines esse dixerunt ? Et audes dicere, illud nescio quid, quod in modico vasculo transferendo colis ? Quid est illud, nescio quid, scire desidero. Expone manifestius, vt tota libertate blasphemes, puluisculũ, inquit, in modico vasculo, pretioso linteamine circundatum, *Dolet Martyrum reliquias pretioso operiri velamine*, & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel proijci in sterquilinium, vt solus Vigilantius ebrius & dormiens adoretur. Ergo sacrilegi sumus, quã do Apostolorum basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas reliquias Andrææ, Lucæ, & Timothæi transtulit Cõstantinopolim *apud quas & dæmones rugiunt*, & inhabitatores Vigilantij illorum se sentire præsentiam confitentur ? Sacrilegus dicendus est & nũc Augustus Arcadius qui ossa beati Samuelis longo post tempore de Iudæa transtulit in Thraciam? Omnes Episcopi, non solum sacrilegi, sed & fatui iudicandi, qui rem vilissimam & cineres dissolutos in serico & vase aureo portauerunt ? Stulti omnium Ecclesiarũ populi, qui occurrerunt sanctis reliquijs, & tanta lętitia, quasi præsentem, viuentemq; Prophetam cernerent, susceperunt : vt de Palestina vsq; Chalcedonem iungerentur po-

pulo-

pulorum examina, & in Christi laudes vna voce resonarent? Videlicet adorabant Samuelē & nō Christum, cuius Samuel & Leuita & Prophetes fuit. Mortuum suspicaris, & idcirco blasphemas. Lege Euangelium: Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, non est Deus mortuorum, sed viuorum. Si ergo viuunt, honesto iuxta te carcere non clauduntur. Ais enim, vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerij, vel subter aram Dei animas Apostolorum ac Martyrum consedisse, ***nec posse suis tumulis, & vbi voluerint adesse præsentes***. Senatoriæ videlicet dignitatis sunt, vt non inter homicidas teterrimo carcere, sed in libera honestaq; custodia in fortunatorum Insulis & in campis elysijs recludantur. Tu Deo leges ponis? Tu Apostolis vincula inijcis, vt vsq; ad diem iudicij teneantur custodia, nec sint cum Domino suo, de quib⁹ scriptum est: Sequuntur agnum, quocunq; vadit? Si agnus vbiq;, ergo & hi qui cum agno sunt, vbique esse credendi sunt. Et cū diabolus & dæmones toto vagentur in orbe, & celeritate nimia vbique præsentes sint, Martyres post effusionem sanguinis sui ara operientur inclusi, & inde exire nō poterunt?

IDEM.

Eodem libro.

Dicis in libello tuo, quod dum viuimus, mutuo pro nobis orare possumus: postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda ora-

oratio,presertim cum Martyres vltionem sui san guinis obsecrantes,impetrare non quiuerint. *Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cætris, quando pro se adhuc debent esse solliciti,quanto magis post coronas, victorias triumphos?* Vnus homo Moyses sexcentis mi libus armatorum impetrat à Deo veniam, & Stephanus imitator Domini sui, & primus Martyr in Christo,pro persecutoribus veniã deprecatur. *Et postquam cum Christo esse cæperunt minus vale bunt?* Paulus Apostolus ducẽtas septuaginta sex sibi dicit in naui animas condonatas. *Et postquã resolutus esse cæperit cũ Christo, tunc ora clausurus est & pro his qui in toto orbe ad suũ Euangeliũ crediderunt,mutire non poterit:* Meliorq; erit Vigilan tius,canis viuens,quam ille Leo mortuus? Recte hoc de Ecclesiaste proponerem si Paulum in spiritu mortuum confiterer. Deniq; sancti non appellantur, mortui, sed dormientes. Tu vigilans dormis, & dormiens scribis: & proponis mihi librum apocryphum,qui sub nomine Esdrę à te & similibus tui legitur vbi scriptum est, quod post mortem nullus pro alijs audeat deprecari, quem ego librum nunquam legi. Cereos autẽ non clara luce accendimus,sicut frustra calumniaris, sed vt noctis tenebras,hoc solatio temperemus & vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris. Quod si aliqui per imperitiam & simplicitatem sæcularium hominũ, vel certe religiosarum

ſarum fœminarum, de quibus vere poſſumus dicere. Confiteor, Zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam, hoc pro honore Martyrũ faciunt, quid inde perdis? Cauſabantur quondam & Apoſtoli, quod periret vnguentum, ſed Domini voce correpti ſunt. Neq; enim Chriſtus indigebat vnguento, nec Martyres lumine cæreorum, & tamen illa mulier in honorem Chriſti hoc fecit, deuotioque mentis eius recipitur. Et ***quicunque accendunt cæreos, ſecundum fidem ſuam habẽt mercedem***, dicente Apoſtolo. Vnuſquiſq; in ſuo ſenſu abundat. Idololatras appellas huiuſcemodi homines? Non diffiteor omnes nos qui in Chriſtum credimus, de Idololatrię errore veniſſe. Non enim naſcimur, ſed renaſcimur Chriſtiani. Et quoniam quondam colebamus idola: nunc Deum colere non debemus, ne ſimili eum videamur cũ idolis honore venerari? Illud fiebat idolis, & idcirco deteſtandum eſt: ***hoc fit Martyribus & idcirco recipiendum eſt***. Nam & abſq; Martyrum reliquijs, per totas orientis Eccleſias, quando legendum eſt Euangelium, accenduntur luminaria, iá ſole rutilante: non vtiq; ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum leticiæ demonſtrandum.
Male facit ergo Romanus Põtifex, qui ſuper mortuorum hominum Petri & Pauli, ſecundum nos oſſa veneranda, ſecundum te vile puluiſculum offert Deo ſacriſicia, & tumulos eorum Chriſti arbitretur altaria? Et non ſolum vnius vrbis, ſed etiá totius

totius orbis errant Episcopi, qui Cauponem Vigilantium contempnentes, ingrediuntur basilicas Martyrum, in quibus puluis vilissimus, & fanilla nescio quæ, iacet linteamine conuoluta, vt polluta omnia polluat: & quasi sepulchra pharisaica foris dealbata sint, cum intus immundo cinere iuxta te, immunda omnia oleant atq; sordeant. Et post hæc de barathro pectoris tui, cœnosam spurcitiam euomens, audes dicere: Ergo cineres suos amant animæ Martyrum, & circumuolant eos, semperque præsentes sunt, ne forte si aliquis precator aduenerit, absentes audire non possint? O portentum in terras vltimas deportandū. Rides de reliquijs Martyrum, & cum authore huius hæreseos Eunomio, Ecclesijs Christi calūniam struis nec tali societate terreris, vt eadem contra nos loquaris, quæ ille cōtra Ecclesiam loquitur? Omnes enim sectatores eius, basilicas Apostolorū ac Martyrum non ingrediuntur, vt scilicet mortuū adorent Eunomium, cuius libros maioris authoritatis arbitrantur, quam Euangelia: Miror quod nō dicas nequaquam perpetranda Martyria, Deum enim, qui sanguinem taurorum hircorumq; non quærat, multo magis hominum non requirere. Quod cum dixeris, imo & si non dixeris, ita habebis quasi dixeris. Qui enim reliquias Martyrum asseris calcandas esse, prohibes & sanguinem fundi, qui nullo honore condignus est.

IDEM.

Eodem Libro. Argumentatur contra signa atq; virtutes, quæ in basilicis Martyrum fiunt, & dicit eas incredulis prodesse, non credentibus: quasi nunc hoc quæratur, quibus fiant, & non qua virtute fiant. Esto, signa sint infidelium, qui quoniã sermoni & doctrinæ credere noluerunt, signis adducantur ad fidem: & Dominus incredulis signa faciebat, & tamẽ non idcirco domini suggillanda sunt signa, quia illi infideles erant: sed maiori admirationi erunt, quia tantæ fuere potentiæ, vt etiam mentes durissimas edomarent, & ad fidem cogerẽt. Itaq; nolo mihi dicas, signa infidelium sunt, sed respõde, *quomodo in vilissimo puluere & fauilla nescio qua, tanta sit signorum virtutumque præsentia:* Sentio, sentio infelicissime mortalium, quid doleas, quid timeas. Spiritus iste immũndus qui te hęc cogit scribere, *sæpe hoc vilissimo tortus est puluere,* imo hodieq; torquetur, & qui in te plagas dissimulat, in cæteris confitetur. Nisi forte in morem gentilium impiorumque Porphirij, & Eunomij has præstigias dæmonum esse confingas, & nõ vere clamare dæmones, sed sua simulare tormenta. Do consilium: inuenies ibi multos socios tuos: & nequaquam cereis Martyrũ qui tibi displicẽt, sed flammis inuisibilibus combureris, & tunc fateberis, quod nunc negas: & in tuum nomen, qui in Vigilantio loqueris, libere proclamabis, te esse aut Mercurium, propter nummorum cupiditatem, & cætera.

Clavdivs Clavdianvs.

Per cineres Pauli, per cana limina Petri
Ne laceres versus dux Iacobe meos.
Sic tua pro clypeo defendat pectora Thomas,
Et comes ad bellum Bartholomeus eat.
Sic ope sanctorum non barbarus irruat Alpes,
Sic tibi det vires sancta Susanna suas.
Sic quicunque ferox gelidum tranauerit Istrum,
Mergatur, volucres ceu Pharaonis equi.

Epigramma in Iacobũ magistrũ equitum.

S. Severvs Svlpitivs.

In quo mihi post hæc homine similis requies, in cuius erit charitate solatium? Me miserum, me infelicem, potero ne vnquam si diutius vixero nõ dolere, quod Martino superstes sum? Erit post hac vita iocunda? Erit dies aut hora sine lachrymis? Aut tecum frater dilectissime potero illius mentionem habere sine fletu, aut loquens vnquam apud te, aliud quam de illo loqui potero? Sed quid te in fletus lachrymasq; commoueo? Ecce nunc consolatũ te esse cupio, qui me consolari ipse nõ possum. *Non deerit nobis, non deerit mihi crede, intererit de se sermocinantibus, astabit orantibus.* Quodq; iam hodie præstare dignatus est, videndũ te in gloria sua sæpe præbebit, & assidue sicut ante paupulum fecit, *benedictione nos proteget.* Inde secundum visionis ordinem qua cœlum sequentibus se patere monstrauit, quo sequendus esset edocuit, quo spes nostra tendenda, quo animus di-

Epistola ad Aurelium.

rigendus instruxit. Quid tamen fiet frater? Quod mihi ipse conscius, conscendere callem arduum illum ac penetrare non potero. Ita sarcina molesta me pregrauat, & peccati mole depressum negato in astra conscensu sęua miserabilem ducit in tartara. Spes tamen superest illa, sola illa postrema, vt quod per nos obtinere non possumus, *saltem pro nobis orante Martino mereamur*.

IDEM.

Epistola ad Bassulã

Comparetur si placet secularis illa pompa, nõ dicam funeris, sed triumphi, quid simile Martini exequijs cõferetur? Dũcant illi præ curribus suis vinctos post terga captiuos, Martini corp⁹ hij qui mundum ductu illius vicerunt prosequuntur. Illos confusis plausibus populorum honoret insania, Martino diuinis plauditur psalmis, Martinus hymnis cęlestibus honoratur. Illi post triumphos suos, in tartara sæua trudentur, Martinus Abrahæ sinũ, lætus ęxcipitur. Martinus hic pauper & modicus, cælum diues ingreditur. *Illinc nos vt spero custodiens, me hæc scribentem respicit, te legentem.*

RVFFINVS PRESBYTER.

In Historia quam Eusebio Addidit libro II. cap. 33.

Theodosius Imperator ante Martyrũ & Apostolorum thecas iacebat cilicio prostratus, & *auxilia sibi fida, sanctorum intercessione poscebat.*

S. PONTIVS PAVLINVS Episcopus.

Presby-

Presbyter hic ſitus eſt meritis & nomine Clarus
Martino ſtudijs comes & meriti modo conſors
Clare fide, præclare actu, clariſsime fructu,
Qui meritis titulum nominis æquiparas.
Caſta tuum digne velant altaria corpus,
Vt templum Chriſti contegat ara Dei
Sed quia tu non hac qua corpus ſede teneris
Qui meritis ſuperis ſpiritus inuolitas.
Siue patrum ſinibus recubas, dominiue ſub ara,
Conderis, aut ſacro paſceris in nemore.
Qualibet in regione poli ſitus aut paradiſi
Clare ſub æterna pace beatus agis.
Hæc peccatorum bonus accipe vota rogantum,
Vt ſis Paulini Theraſiæque memor.
Dilige mandatos interueniente Seuero,
Quos ignoraſti corpore ſic meritos.
Vnanimi communis amor ſit fomes vtriſque,
Perpetui ſummo fœderis in Domino.
Non potes implicitos diuellere, *ſi trahis vnum,*
Vnus adhærentem quo rapitur rapiet.
Ergo indiuiduos pariter complectere fratres,
Vtque ſumus ſic nos dilige participans.
Sic Deus acciuit, ſic nos Martinus amauit,
Sic & tu pariter Clare tuere pares.
Non meritis ſed amore pares, tu ſancte valebis,
Exorare pares & meritis fieri.
Si cum Martino ſocia pietate labores,
Vt vincunt veſtræ crimina noſtra preces.
Et ſimul in veſtri ducamur ſorte, Seueri

Epiſtola 12. ad Seuerum.

Veſtraque nos ſemper protegat ala ſinu.

IDEM.

Epiſt.13.ad eundem.

Salutamus te tantum quantum diligimus in Domino, & adhuc deſideramus: nam reuellere de animis noſtris ſpem iſtam nec dum poſſumus, qua preſumimus te videndum amplectendumq; nobis dono Domini in ſede ac ſinu Domini mei cõmunis Patroni Felicis, cui vota tua totiens con teſtatus ſum, & promiſſa recitaui, quotiẽs à te mi hi cauta reminiſceris. Si fefellimus Martyrem ve ritatis, non opinor, me ſolum ſtatuendum huius culpæ reum, qui ſpopondi quod credidi: tu quęſo mi frater vnanime & dilectiſsime dum tempus eſt videas, *ne tanto confeſſori tam potentis gratiæ apud Chriſtum* ſancto ille videaris inficias. Cauſari infirmitatem magis, quam pigritiã, vel exceptionem perſonarum qui poſsis neſcio, cum intra an num eadem opera ad nos potueris peruenire ac recurrere, quam Gallicanas peregrinationes tot annis frequentatas, & iteratis ſæpe intra vnã æſta tem excurſibus Turonos & remotiora viſitas. Non inuideo, prædico magis deuotionem tuã in Domino quam in ſeruis ſuis admiraris & honoras. Iuſte fateor & merito Martinum frequentari, ſed dico iniuſte pernitioſeque Felicem ab eodem qui illum honoret promiſsis inanibus ludi, vel ſe cum promiſſi item vt aboliti diſsimulatione contemni. Qua fide ſperas Chriſti gratiam in honore Mar-

Martini, eadem Christi offensam time in offensione Felicis, & tibi forsitan mens fortior & anima robustior, aut potens conscientia perfecte in Christo dilectionis tantam ministret fiduciam, vt magnorum fidei & operationis tuæ meritorum compensatione delictum hoc quo Dominum meum Felicem (quod absit) læseris diluendum putes, quam tam de ipsius etiam tibi bonitate, quam de ipso, cuius spiritus est, Deo Christo largissimã habet veniam tibi polliceris, & fideliter facis. Verũ ego vel tam timidum me vitio infirmitatis meæ, vel tam nimium amoris tui fateor, vt pro te etiã tuta timeam, & dum in omni facto abundare tibi gratiam Christi cupio, nolim te in eo potissimum, in quo Dei charitas est insignis & eminens lapidem offensionis incurrere, Scio quidem secũdum diuitias bonitatis Dei, & in Domino meo Felice viscera pietatis affluere: sed tu quæso hoc eum magis diligas & timeas, quo melior est, & indulgentior. Magnam tibi talis formido mercedem pariet, vt hinc solicitior sis, vnde potes esse securior: Id est, vt tanto magis charissimum Dei metuas offendere, quanto promptius dignatur agnoscere. Quia maiore impietate læditur, qui nescit offendi, & grauius vindicatur à Domino, qui non expetit vindicari.

IDEM.

Sis bonus, o felixq́; tuis: Dominumq́; potentem, Natali. 2.
Exores liceat placati munere Christi

Post pelagi fluctus, mundi quoq; fluctibus actis,
In statione tua placido consistere portu
Hoc bene subductam religaui littore classem
In te compositę mihi fixa sit anchora vitæ.

IDEM.

Natali. 3. *Nunc precor æterna nobiscum pace, serenum*
Posce diem: hoc iterum liceat gaudere reuerso
Animaque hic & vota eius & carmina festis
Reddere placati tranquillo nomine Christi.
Hic amor, hic labor est, nobis hæc vota tuorum
Suscipe commendaque Deo, vt cum sedula cura
Seruitium nostrum longo tibi penderit æuo:
Tunc demum placidos pietate laboris alumnos,
Absoluas mittente manu, positasq; tuorum
Ante tuos vultus animas, vectare paterno,
Ne renuas gremio Domini fulgentis ad ora
Quem bonitate pium, sed maiestate tremendum
Exora, vt precibus plenis meritisque redonet
Debita nostra tuis: cum tu quoq; magna piorum
Portio, regnantem Felix comitaueris agnum:
Posce ouium grege nos statui, vt sentētia summi
Iudicis hoc quoq; nos iterum tibi munere donet:
Ne male gratatis lenos adiudicet hædis
Et potius dextra positos in parte salutis
Munifico pecori laudatis aggreget agnis.

IDEM.

Natali. 8. Sic potiora eius venerādo in corpore membra
Martyres in quibus est insigni roboré Felix
Inter

Inter diuini capitis sacra lumina fulgens
Iure Deo validi, quia Christo proxima passi,
Concurramus ad hunc spe conspirante patronum
Suscipiat nostras placida pietate querelas,
Et dum natalem ipsius celebramus ouantes,
Ille preces nostras meritis pius adseret altis
Inque vicem flebit nobis quia mente dicata,
Nos letamur ei, *non est cura, hæc noua sanctis*
Exorare Deum pro peccatoribus egris,
Vtque boni meriti, meritum superare sinistrum.
Vt quondam hos habuit ætas, sic modo nostra
Felicem sortita salus, *petat omne quod audet*
Quodq; cupit *tali speret confisa patrono,*
Sancte Deo dilecte Dei tu dextera Felix
Esto precor nobis tu munitißima turris.

IDEM.

Quare inopi da sancte tuo vt te digna patrono Natali. 9.
Et pariter condigna tuo loquar vsus amico
Posco tuos Felix tecum ad tua vota parentes
Quę tua vota loquor mea sunt, & verius hęc sunt
Vota mea, at tibi celsius honor terrena recusat
Gaudia, seu quia nostra tuæ sunt gaudia palmæ,
Vt tua digneris tibi ducere vota tuorum.
Ergo quos etiam Felix imploro parentes
Hic quoq; ades mihi nunc poscas, vt adesse voca-
Qui colitis lætos paradisi cælitis hortos, (tos
Quiq; sub excelsa Domini requiescitis ara
Pulcher Apostolici chorus agminis & Patriarcha
rum

Gens prior, ambo chori procerum quos agmine bino
Per duodena Deus ſignauit nomina patres
Gentibus & populis regnum ad cæleſte vocandis
Vos etiam ſancti ſupplex depoſco Prophete
In noſtra qui carne Deum fore præcinuiſtis
Vos quoq; corporibus cæſis, & ſanguine fuſo
Occiſum & viuum teſtati Martyres agnum.
Hæc tibi Chriſte Deus tenui fragiliq; paratu
Pro nobis facimus, nec enim te ſumme creator
Facta manu capiunt, toto quem corpore mūdus
Non capit, anguſtum cui cælū, terraq; punctū eſt
Sed ſanctis ſine fine tuis deuota ferentes
Obſequia, exiguo magnos veneramur honore:
Sperantes *illis exoratoribus*, vt tu
In nobis operum ponas perfecta tuorum
Culmina, & extructis habitator mentibus adſis.

Sophronivs Presbyter.

Sermone de Aſſumptione. S. Mariæ.

Hæc eſt virgo, quæ ſola interemit vniuerſam hereticam prauitatem, ſola poſt Deum quæ nos confirmet in omni veritate, *ſuiſq; commendet meritis & precibus auxilietur*, vt & ipſi digni inueniamur in eius laudibus. Idcirco hanc imitamini moribus, ſequimini caſtitate, *huius implorate auxilium.*

S. Ioannes Chrysostomvs.

Homil. in Gen.

Nunc autem propter ineffabilem Dei miſericordiam, quia pietas incrementum ſumſit, multi etiam

etiam in mediis ciuitatibus ignorati possunt placare Deum,& alij in montibus & speluncis. Aliorumq; virtus multorum tegere valet malitiam. Multa enim Domini bonitas est,& sæpe solet etiã propter paucos multis dare salutem. Et quid dico propter paucos iustos? *Sæpe quando non inuentus est in præsenti vita iustus, propter defunctorum virtutem viuentium miseretur & curam habet:* Vnde clamat dicens: Protegam ciuitatem hanc propter me,& propter Dauid puerum meum, quasi diceret: Licet ipsi indigni sint, & nullam salutis habeant occasionem : verum quia solitus sum misericorditer agere,& ad miserandum promptus sum, propter meipsum faciam, & *propter Dauid puerũ meum, qui ante hos annos è vita migrauit, hic autor erit salutis his qui sua sese perdiderunt desidia.* Vidisti misericordiam Domini, quomodo eos qui virtute pollent, toti multitudini opponit & rependit? Quapropter & Paulus dicebat: Obambulauerunt in ouillis caprinisq; pellibus, destituti, pressi, afflicti, quibus indignus erat mundus. Ille dicit: Omnis mundus, & totus orbis non est conferendus his qui in afflictionibus & pressuris, & nuditate agunt & obambulant & in speluncis versantur propter Deum.

IDEM.

Quid est, recordatus est Deus Abrahæ? hoc est petitionis quam fecit, dicens: Ne simul perdas iustũ Homilia. 44 in Ge.

cum

cum impio. Cur igitur, dixerit aliquis propter orationem Patriarchæ iustus seruatus est, & non propter suam iusticiam? Ita certe propter orationem Patriarchæ: Quando enim quod ex nobis est simul afferimus, *& accedit intercessio sanctorũ*, plurimũ nobis confert. Quod si ipsi negligentes fuerimus, & spem in illis solis collocamus nostræ salutis, nihil amplius nobis prodest: non quod infirmi sunt iusti, sed quia propter nostram desidiam nosipsos perdimus. Et, vt discas, quod quando negligentes sumus, etiam *si iusti sint qui pro nobis orant, etiam si Prophetæ*, nulla nobis inde fiat vtilitas. Illi enim suam virtutem & per hoc demonstrant, nobis autem nulla erit vtilitas propter mores nostros.

IDEM.

Homilia 2. in Psal. 50.

Videtis quanta est pœnitentiæ virtus, & cõuersionis ad Deũ ab operibus malis? Hic enim *sanctus Dauid non solum cum in corpore esset, placuit Deo: sed & post mortem suam viuis inuenitur prestitisse grande solatium.* Contigit namq; Ezechiç regi inimicas temporibus Iudæorum gentes circũuallasse Hierusalem. Et cum esset Ezechias iustus vir, rogauit Deum, & prostratus cum lachrymis, deprecabatur, vltionem de aduersarijs postulans: Venit ad eum Esaias Propheta & dicit: Ne putaret ille, quia iusticia sua exauditus est. Et certe iã defecerat Dauid, & habebat multos annos requiescens.

escens. Quid ergo dicit ei? Protegam hanc ciuitatem propter me, & propter Dauid seruum meum. *Dauid mortuus est & merita eius vigent.* O rem admirandam, o ineffabilis clementia Dei, *homo mortuus viuo patrocinatur.* O iustorum & post cõsummationem inexpugnabilis pugna virorũ.

IDEM.

Quod vtiq; proprium solet esse sanctorũ, non scilicet gloriã propriam, non honorem, non quicquam aliud omnino anteferre proximorum saluti. Considera igitur quam diuersus ab illis sit noster affectus. Illi enim in medijs quoque ignibus constituti, pro vniuerso populo Dei supplicant: nos vero ne in securitate quidem maxima meminimus proximorum. Sed & ad interpretandum regis somnium requisiti, non propria aliqua commoda proposita habebant, sed quod ad cunctorum vtilitatem ciuium pertineret: mortem vero quam facile contemnerent, clarissimi experimenti probatione docuerunt: Vbiq; autem se pie pro cunctis at humiliter opponunt, Deum per omnia placare cupientes. Deinde quoniam semetipsos ad impetrandam populo veniam sufficere nõ credunt, *ad patrum merita confugiunt:* ipsi vero nihil se amplius profitetur afferre, quam humiliatum spiritum, ac dolore contritum.

Homilia 4. in Mat.

IDEM.

Non igitur quasi oscitantes & desides, ex alio-

Homilia 5.

rum

rum meritis pendeamus. *Habent enim vim pro nobis, & quidem maximam, orationes, supplicationesq́; sanctorum:* sed tunc profecto cum nos quoq; idipsum per pænitentiã postulamus, & ad studia meliora cõfugimus. Alioquin etiam Moses ipse, qui & fratrem suum, & sexcenta illa milia armatorũ ab imminenti Dei liberauit ira, sororem tamen suam nequiuit eruere.

IDEM.

Homilia 27.

His omnibus ex animo pulsis, adeoq; post illa vulnera Dauid refulsit, sic se à maculis abluit, ita mundum effecit animum, *vt vel mortuus peccantibus succurrerit:* & quod de Abraham, id quoq; de Dauid Deum dixisse scriptura testatur, imo vero multo magis de Dauid. De Abrahã enim scriptum est. *Recordatus sum testamenti mei quod erat ad Abraham:* hic vero non dicit testamenti, sed *propter Dauid seruum meum protegam ciuitatem hanc.* Salomonem etiam quia nepharia crimina commisit, *charitate patris placatus Deus*, à fastigio regni non deiecit.

IDEM.

Homilia 22. in Epistolam ad Roma.

Si enim cum hic esset (Paulus) vsq; adeo dilexit homines, vt cum dissolui ex animi proposito, & cum Christo esse cuperet, elegerit hic esse, *multo magis illic feruentiorem amorem ostendet.* Ego & Romam propterea diligo, tametsi & aliunde queam illam laudare, nempe à magnificentia, & anti-

antiquitate à diuitijs& à rebus in bello fortiter gestis & à pulchritudine, à multitudine, à potentatu: à diuitijs: Sed relictis omnibus istis ob id illã beatam prædico, quod erga illos Paulus dũ viueret, adeo fuit beneuolus, adeo illos amauit, coram disseruit,& postremo vitam apud eos finiuit. Vnde & ciuitas ista hinc facta est insignis plus quam à reliquis omnibus. Et quemadmodum corpus magnum ac validum duos habet oculos illustres, sanctorum videlicet, illorum corpora: ita cælum nõ splendescit, quando radios suos sol ex sese dimittit, quemadmodum Romanorum vrbs duas illas lampades vbiq; terrarum effundens. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus. Considerate & horrete quale spectaculum visura sit Roma, Paulum videlicet, repente ex theca illa, cum Petro resurgentem, in occursum Domini sursum ferri. Qualem rosam Christo mittet Roma? Qualibus coronis duabus ornatur vrbs ista? Qualibus cathenis aureis cincta est? Quales habet fontes? Propterea celebro hanc vrbem, non propter columnas, non propter aliam phantasiam, sed propter columnas illas Ecclesiæ. Quis mihi nunc dabit, *circumfundi corpori Pauli*, affigi sepulchro, videre puluerẽ corporis illius, quæ adhuc in Christo deerant adimplentis, stigmata illius gestantis, predicationẽ Euangelij vbiq; seminantis? puluerem, inquam oris illius, per quod Christus loquutus est, per quod lux emicuit quouis fulgure clarior. Et quid opus

est

eſt ſingula recenſere? Vellem videre ſepulchrum quo recondita ſunt arma illa, iuſticiæ, arma lucis, membra nunc viuentia, tum vero cum in hac vita eſſent emortua, in quibus omnibus viuebat Chriſtus, quæ mundo fuerant crucifixa, membra Chriſti, quæ Chriſtum induerant, quæ templum ſpiritus ſancti, ſanctaq; fuerunt ædificatio, quæ ligata erant ſpiritu, confixa timore Dei, habentia ſtigmata Chriſti. *Hoc corpus vrbem hanc munit*, quod quauis turri innumeriſq; mœnibus ac vallis eſt tutius, & cum iſto, corpus etiam Petri.

IDEM.

Homi. 42 in Priorē. Corinth. Epiſto.

Et hæc quidem moneo, non qui afficiam triſticia, aut in deſperationem adducam, ſed ne vanis & inutilibus ſpebus lactati, hoc aut illo fidentes, propriam virtutē negligamus. Etenim ſi ſegnes tardauerimus, *nec iuſtus, nec Propheta, nec Apoſtolus nobis vllus patrocinabitur*.

IDEM.

Homilia 8 in Epheſi. Epiſt.

Vellem nunc etiam in eis eſſe locis, in quibus iſta dicuntur eſſe vincula. Cuperem videre cathenas illas quas quidem verentur, *& horrent dæmones, venerantur vero Angeli*. Quod ſi liberum fuiſſet per curas eccleſiaſticas & corpus habuiſſem validum, nihil vtiq; cauſatus fuiſſem quo minus tanta ſuſcepta peregrinatione, cathenas duntaxat illas, & carcerem vbi ligatus fuit vidiſſem.

IDEM.

Præcan-

Precãtes adhortemur & alios vt pro illis orẽt, pauperibusq; indesinenter pro illis eleemosynas demus. Habet res ista nonnihil consolationis. Audi quippe quid Deus dicat: Protegam ciuitatem istam propter me, & propter Dauid seruum meũ. ***Si memoria dumtaxat iusti tantum valuit***, quando & opera pro tali fiunt, quid non poterunt?

Homilia. 3. in Epist. ad Philip.

IDEM.

Audi rursus & Deum dicentem: Protegam inquit, ciuitatem istam propter me & propter Dauid seruum meum. Sed hoc dixit, cum esset Ezechias rex iustus. His itaq; cognitis, ***nec sanctorum preces contemnamus***, neq; totum in illas proijciamus, hoc quidem ne temere insidijs opprimamur illud vero ne extra multum lucrum & profectũ excidamus, sed ***oremus etiã vt pro nobis precentur manumq; porrigant.***

Homilia. 1. in Epist. ad Tessal.

IDEM.

Atqui poterat Babylas, vel exemplo Enoch transferri, vel Heliæ modo rapi, vt qui vtriusque æmulator fuerat. At Deus qua est in humanum genus benignitate inter alias, quas infinitas nobis salutis nostræ occasiones dedit, & hanc quoq; viã nobis à se munitam esse voluit, idoneum ad virtutem capessendam stimulum, relictis scilicet interim apud nos sanctorum reliquijs. Nam post sermonis facultatem, ipsa certe sanctorũ sepulchra proximum locum obtinent ad animas hominũ

Libro contra Gentiles in Babylã Mar.

in ipſos ſanctos intuentium ad virtutum earundem æmulationem excitandas. Ac ſicubi quis huiuſmodi conditorijs adſtat, ſuum ſtatim ſenſum ab hac, quam dico, vi correptũ animaduertit: capſulæ enim aſpectus in animam inuadens ipſam percellit, & exuſcitat, ac perinde afficit, quaſi qui illic mortuus iacet, *preces ſimul fundat, preſenſq́ue adeſſe cernatur*, deinde fit vt qui ſe ſic affectũ ſenſit, mira alacritate geſtiens, aliuſque prorſus affectus, ita ex eo loco decedat. Porro autem quod hæc dicam, non temerariæ cuiuſdã iactantiæ cauſa, ſed quod id ipſum emolumẽti noſtri gratia factum fuerit, abunde orationi noſtrę fidem faciũt, tum quæ *quotidiana à Martyribus miracula ædun tur*, magna affatim ad illa hominum multitudine affluẽte, tum illis, nihilo inferiora Babylæ prę clara poſt ipſius obitum virtutis egregiæ ſpecimina. Ad tanta porro iſthæc mala tollenda, inuenit Imperator ſapientiſsimum id remedium. *Sanctũ Babylæ corpus cum in locum ſi transferretur, exiſtimauit perinde fore, ac ſi medicus ad laborãtes mitte retur.* Et eſt perinde mirum, eo in loco mollé aliquem ac ſocordem reſipiſcere, & tanquam è media inſania, ſanũ caput attollere, vt ſi quis in medios ignes coniectus, ab igni detrimenti nihil accipiat. circumuallata enim rationis arce ab iuuentute, ab effrenata audacia, à vino, à ſaturitate moleſtius etiam, quam à flamma ipſa, beati Babylæ ros inſpectantium animam ex obtutu ipſo influ

ens

ens flammam ipsam sopit, incẽdium sistit, ac magnam certe animi religionem instillat. Atq; in eũ quem dixi, modum, Babylas intemperantiæ tyrãnidem subuertit. At quo idem modo & dæmonis potestatem extinxit? Primum quidem tum dæmonis inibi habitantis obsidionem, tum fabulę noxam ijs ipsis, quas dixi rebus inefficacem reddidit: deinde *& dæmonem ipsum exegit.* Verum antequam ad exactionis modum veniam, illud vos annotare postulo, Babylam nõ statim vbi aduenit, dæmonem eiecisse, sed manentem eum otiosum, inertem agendisq; rebus ineptum reddidisse. Illi enim os ita obstruxit, vt vel lapidibus ipsis magis mutus redderetur. Et quidem manentem inibi dæmonem superauisse, non minus fuit, quam si eundem de loco exegisset, quum qui loci illius accolis omnibus fucum prius faceret, *ne extincti quidem Babylæ cineres contueri sustineret. Ea est, enim sanctorum potestas, vt illorum superstitum dæmones, ne vmbras quidem, aut vestes ferre possint, defunctos autem vita, sanctorum & loculos reformident.* Itaq; si quis quæ ab Apostolis facta fuisse prædicantur, fidem non habet, is tandẽ memoriæ huius miracula intuitus, ab impudentia sua desistat. Nam qui de omnibus olim gentilibus victoriam reportabat, *à Martyre tanquã ab hero increpitus*, suppressa voce latrare desijt.
Trahebatur enim capsula per totam viam, reuertebatur autem Martyr athletæ alicuius exemplo

coronam alteram in ſuam vrbem ferēs, in qua & priorem coronam reportarat. Quamobrē ſi quis eſt forte, qui mortuorum reſurrectionem neget, quū videat Martyris noſtri facta illuſtriora poſt obitum eſſe, in poſterum erubeſcat, qui Martyr ſtrenui alicuius bellatoris more trophæis trophęa coniunxit, magnis maiora, & mirabilibus mirabiliora. Tum enim certamen illi cum Imperatore ſolo fuerat, nunc cum Imperatore pariter ac dæmone. Tum Imperatorem à ſacro templi ambitu exegerat, ***nunc ex omnibus Daphnes locis, peſtilentiſsimum humani generis hoſtem expulit, non manum admouens,*** quemadmodum & prius fecerat, ***ſed virtute inuiſibili, inuiſibilem virtutem debellās.*** Ac viuentis quidem liberam orationem non tulit homicida, mortui autem cineres, neq; Imperator, neque dæmon ſuſtinuit, quo dæmone autore Imperator hæc agebat. Babylas intra ſacrū templi ſeptum erat, intra quod & prius fuerat. At malignus dæmon ſtatim edoctus eſt fruſtra ſibi fraudis ſuæ artificia conficta, ***ſeq; iam non certamen habere cum mortuo ſed cum eo qui viueret, qui efficax eſſet, quiq; non ſe modo, ſed omnes quoque dæmones fortitudine ſuperaret.*** Is enim Deum precatus ignem in templum vt cœlitus demitteret, totum illius tectum exuſsit, ipſoq; Idolo ad extremos vſque pedes deleto. ***Tales enim eſſe ſanctos conſtat, vt perfici modo velint, quæ ad hominum ſalutē ſpectent,*** nō etiam vulgo oſtentare opera huiuſmodi

per

per seipsos fieri, nisi sicubi vsus aliquis cogat. Vsum autem rursus esse dico seruandorum hominum curam, id quod tum vsu venit: Ea est Martyrum virtus & viuentium & mortuorum, & ad loca illa vel illa adeuntium, & rursus ab eisdē alio migrantium. Atq; hæc quidem, & his item longe plura etiamnum viuens prestitit. *Vbi autē hinc emigrauit, dæmonis robur eneruauit*, gentilium imposturam coarguit, vaticinij deliramenta dilexit, personam eius contriuit, simulationem omnibus denudauit, ac patefecit: eum qui in ea dominari videretur obmutescere cogens, ac magna vehemētia opprimens. *Ea sane est sanctorum fortitudo, tam inexpugnabilis, & terrifica, tum regibus, tum dæmonibus, tum ipsi etiam dæmonum principi.*

IDEM.

Et quam tandem post hæc veniam consequeris? Quopacto valebis illum denuo tibi propitiū reddere? Quin potius nec alius quisquam, pro te deprecari poterit, *etiam si tantū valeat apud Deū auctoritate quantū Moses*. Non est, inquam, quisquā qui hoc facere poterit. Non audis quid Deus loquatur ad Hieremiam de Iudæis? Ne depreceris pro populo isto, quoniam si surrexerit Moses & Samuel, non exaudiā illos. Adeo sunt peccata omnem remissionem superantia, quæq; nullam recipiant excusationem.

Oratione. 5. aduersos Iudæos.

IDEM.

Lib.3. aduersus vituperatores vitæ Monasti.

Quod enim cum Angelis illi ministraturi sint, qui hanc philosophiam apprehēderint omnibus profecto liquet. *Tunc sane illi non tantum suæ, sed nostræ, quoq; maiore cum fiducia gloriæ, fœlicitatisq; prospicient*. Nam si quidam parentum gratia nō nulla potiti sunt, multo id magis filiorum causa parentes consequentur. Illic enim naturæ tantū prærogatiua erat, hic ius etiam educationis accedit, quod natura longe maius & potentius est. Atq; ego vobis vtrunq; scripturæ diuinæ, exemplis affirmabo: Ezechiam certe insigni virtute & pietate virum, minus tamen ex virtutum suarum conscientia fiduciæ habentem, quam vt posset aduersus imminens periculum consistere, *paternæ virtutis gratia se Deus seruare testatus est.* Protegam enim, inquit, ciuitatem istam, vt seruem eā propter me, & propter Dauid puerum meum.

IDEM.

Homilia. in sanctos Iuuentiū, & Maxi. marty.

Et vnum quoq; tabernaculum in cœlis eos excipiet, quando in maiorē peruenturi sunt gloriā, nempe immutandi. Illos non indignum fuerit, & columnas & scopulos, & turres, & candelabra, & tauros simul appellare. Nam Ecclesiam, sicut columnæ sustinent, *sicut turres muniunt*: & sicut scopuli omnes vndarum assultus repulerūt, multam interim ipsi seruantes tranquillitatem, sicut luminaria tenebras impietatis discusserunt, & sicut tauri, anima promptitudineq; eadem, suaue

Chri-

Christi iugum traxere. Idcirco *sæpe eos inuisamus, tumulos adornemus, magnaq́, fide reliquias eorum contingamus, vt inde benedictionem aliquam assequamur.* Etenim sicut milites vulnera quæ in prę lijs sibi inflicta regi monstrantes, fidenter loquũtur, ita & illi in manibus abscecta capita gestantes & in medium afferentes, *quæcunq́, voluerint apud regem cælorum impetrare possunt.* Proinde magna fide, promptitudineq; huc veniamus, quo & visis sanctorum monumentis, & consideratis eorum præmijs, inde varios thesauros vndiquaque colligamus.

IDEM.

Et Alexander quidem post mortem suam dissipatum imperium suum & penitus exterminatum non reparauit, non aliud gessit, neq; magnũ neq; paruum: Quomodo namque facturus erat mortuus? Christus autem tunc omnem terrarũ orbem ad se traxit adorandum, cum mortuus fuisset. Et quid de Christo loquor, cum & discipulos postquam obierunt, tunc effulgere fecerit? Quid dico discipulos? Nam & eorum loca & sepulchra & tempora perenni memoria celebrari curauit? Tu vero mihi sepulchrum ostendas Alexandri, & profer diem quo vitam finiuit. Sed nihil horum insigne sed omnia destructa sunt, & exterminata: Christi vero seruorum & sepulchra clara sunt regiam allecuta ciuitatẽ, & dies notissimi mundo festam afferentes lætitiã. Et illius quidem

Homilia. 66 ad populũ Antiochænũ

dem loculum & proprij nesciunt horum autem sciunt & barbari. Et seruorū crucifixi, regijs aulis sunt clariora, non magnitudine & ædificiorū pulchritudine (nam & in hoc quidem superant) sed quod multo maius est, conuenietium studio. Nam & ipse qui purpuram indutus est, accedit illa complexurus sepulchra, & fastu deposito *stat Sanctis supplicaturus vt pro se apud Deum intercedant: & scenarum fabrum & piscatorem etiā mortuos vt protectores orat*, qui diademate redimitus incedit. Audebis, igitur, quæso, horum dominum nuncupare mortuum, *cuius serui vel mortui terrarum orbis regum, sunt protectores?* Nec hoc tantum quis Romæ fieri viderit, verum & Constantinopoli. Nam & hic Constantinum magnū ipsius filius honore magno censuit haberi, si pro foribus piscatoris paternum corpus collocaret. Et quod in regijs sunt ianitores regibus, hoc sunt in monumēto piscatoribus reges: & illi quidem vt Domini loca tenent interiora, hi vero tanquā inquilini & vicini aulæ ianuam sibi gratum habuere deputari, & infidelibus ex his ostendētes, quod in resurrectione maior erit piscatoribus dignitas. Et hic quidem regnans alicui subiecto præcipit, vt hunc quidem soluat, illum vero liget: *sanctorū autem ossa non hanc* habent miserabilem & abiectam potestatem, *sed illa multo maiorem. Dæmonas enim sistunt & torquent, & vinctos ab illis soluunt seuissimis vinculis.* Quid hoc foro magis reuerendū

uerendum,cum videatur nemo, nemo dæmonis inſtet lateribus, voces ſentiuntur & lacerationes, flagella,tormentaq;,ac linguæ ardentes, terribilẽ illam vim dæmone non ferente? Et corpus indu ti,incorporeas opprimunt poteſtates. Et cinis & oſſa, & fauilla inuiſibiles illas poteſtates dilaniant. Futuri nãq; iudicij veſtigia & ſigna, ſanctorum ędes exhibent,vbi dæmones flagellãtur,corriguntur homines & liberantur. *Vidiſti vel mortuorum hominum virtutem?*

IDEM.

Et vnius quidem virtute mali etiam vtuntur perſœpe multi: vitijs vero multorum, ſi vel vnus multo in populo ſtrenuus fuerit, nunquã tamen ille in perniciem collabetur. Et vir quidem vnus recte viuens,diuina ira populum omnem liberare ſufficiet: è contra vero ciuitas omnis corrupta, in ſuam pœnam atq; ſupplicium imminens trahere ac rapere non poterit, quod quidem ex Noe liquidius patet,pereũtibus ſiquidem omnibus liberatur vnus: & ex Moſe hoc idem videre licet, potuit ſcilicet vnus tantam reſtituere gentem. Ego vero quod dicam & aliud habeo diuinæ humanitatis exemplum. Quando enim viuos homines,quibus loquendi fiducia ſit, quiq; peccatores reſtituere poſsint,nullos prorſus inuenerit, *tũ vero ad mortuos ille profugiens,per eos inquit pecca ta remitto.* Quomodo enim dicit? Hanc ego,inquit, mea ipſe gratia tutor vrbem, Dauid etiam Sermone de virtutibus & vitijs.

filij mei cauſa, qui ab hac iam pridē vita diſceſsit. *Aſpice ſanctorum quanta ſit virtus.* Neq; enim illorum verba tantum, aut corpora, ſed ipſa etiam corporis tegmina ſemper omni ſunt poſſeſsione anguſtiora. Sanctorum Martyrum cinis improbos dæmones expulit.

IDEM.

Homi. 77 ac ; opulum Anti. Et tamen has omnes ex animo ſagittas euellens, generoſus (Dauid) ille poſt hæc ita refulſit, vt maculam abſterſerit, & ita mundus factus eſt, *vt & poſterorum ſuorum etiam defunctus peccata corrigeret:* Et quod de Abraham dicebatur, & de Dauid dicere hoc Deus videtur: quinimo de hoc lōge plura. Nam de Patriarcha quidem ait, quod memor fuit teſtamenti ſui ad Abraham, hic vero nō ait, teſtamenti, ſed quomodo? Propter Dauid ſeruum meum protegam ciuitatem iſtam. At & Salomonem tanto crimine commiſſo, propter ſuam in illum beniuolentiam ex regno non permiſit excidere.

IDEM.

Homilia. poſt reditū exilij. Videtis, quia quod dico, verum eſt. Quoniam ſi quis tentationem viriliter tulerit, magnum ex ipſa vindemiat fructum. Ideo vos ad Apoſtolos inuitaui, vt ad eos, qui aliquando perſecutionem paſsi fuerant veniremus. Et nos quidem inſidias paſsi, illi vero impugnati. Sed inimici illis nihil nocuerunt: quia iſti orbem terrarum lucrauerūt: Veniamus ad ſancta corpora, quæ Chriſti ſtigma

ta portauerunt. Veniamus ad Timotheum nouum Paulum, & Andream alterum Petrum. *Credimus iuuari nos illorum meritis.* Si virilem animũ geris, non timeas tentationes. Omnes sancti per ista transierunt.

IDEM.

Non est nobis ô venerandi Apostoli oratio neque mens sufficiens, vt aliquid suppeditet ad vobis agẽdas gratias, egeni sumus omnis doni quod offeratur. Mutuum date vos, qui estis vere diuites, indigẽtibus, vel potius donate, neq; enim possumus mutuum reddere, & si beatas voces à vobis acceperimus, exclamabimus. Salue beata Biga, quę vna es anima in duobus corporibus. Petrę & Paule, saluete vos semper in domino *sine inter missione pro nobis rogamus orate*, promissa vestra implete. Sunt enim hęc vestra conuenta, vnius quidem hoc venite mecum, & bonis ne deficiamur, alterius vero illud. *Studebo post meum obitũ vestri facere mentionem.* Pactorum ergo conuentorum, nolite obliuisci, sed trinitati principio carẽti, nullo intermedio assistentes, *petite quæ sunt nobis omnibus salutaria.* Homilia in Natali Apost. Pe. et Pauli.

IDEM.

Multis etenim solibus illustriores sunt Martyres, & magnis luminaribus clariores. Propterea hodie, si dici potest, cęlo ipso ornatior terra lętatur. Sed in hac comparatione non attendas cinerem sanctorum corporum, nec fauillam reliquiarum Homilia in 7. Macha. Mar.

rum carnis, omniaq; ossa cõsumpta temporibus, sed aperi oculos fidei, & vide eos diuina veritate, & gratia spiritus sancti amictos, & diuini luminis claritate radiantes. Hi ergo ipsi de superno solis circulo in terram radij Christo emittente iaciuntur,& à corporibus eorum prosilientes,coruscа luce fulgoris, sicut speciem Ecclesię gaudentis illustrant,ita faciem diaboli inuidentis obcecant. Nam vt audaces latronum duces,siue impij sepulchrorum effossores, si forte dum prędas agunt, aut spolia capienda conquirunt in arma,vel ornamenta imperatoris incurrerint, quamlibet cupidi predarum : tamen ita agnitis regis insignibus deterrentur,vt fugiãt neq; cominus accedere, vel attingere audeant. Vnde sibi non compendium procedere,sed periculum prouident imminere, si quid audeãt vsurpare : Ita profecto & dæmones, qui vere latronum & principes, & magistri sunt, *vbi coronatorum Martyrum corpora viderint posita, longe ilico à conspectu eorum pauidi fugiunt,& absiliunt.* Non enim ad naturam eorum intendunt, sed in arcanam dignitatem,& gloriã Christi,qui in agone certantium induta corpora Martyrum suorum,sicut arma portauit. Huiusmodi enim armis non Angelus,nõ Archangelus, nõ vlla alia creaturæ virtus induta est, sed ipse Dominus virtutum,& Angelorũ, sicut Paulus clamat, dicens : Si experimentum queritis,prælіantis in me Christi? Pretiosa enim sunt corpora Martyrũ
quo-

quoniā plagas pro domino susceperunt. Et quia stigmata propterChristum membris suis impressa, ferunt,& sicut corona regalis vndiq; decorata, fulgores varios emittit: ita & sanctorum Martyrū corpora, sicut preciosis lapidibus, acceptis pro Christo vulneribus distincta, omni regum diademate pretiosiora redduntur.

IDEM.

Quicunq; sanctos vocauerit luminaria mundi, non peccabit, non solum dum essent in corpore, *sed etiam magis nunc quando de hac vita migrarunt* Gratia enim & merita sanctorum morte nō minuuntur. Tunc quidem pisces capiebant ad mortem, nunc autem capiunt homines ad salutē. Homilia. de Pœnitentia.

IDEM.

Sanctissimę, intemeratę, superbenedictę reginę nostrę, matris Domini, & semper virginis Marię, cum omnibus sanctis, memoriam celebrādo, nosmetipsos & ad inuicem, omnem vitam nostrā Christo Deo commendemus. In liturgi. sua, interprete Leone Thusc.

Intercessionibus Dei genitricis, Saluator, salua nos.
Interuentibus Sanctorum tuorum, salua nos Dñe.
Precibus Sanctorum tuorum, salua nos Domine.

Cœlestis militię princeps Michaël, rogamus te nunc indigni, *vt tuis intercessionibus munias nos* vmbra alarum tuarum, immateriatę naturę, custodi nos: procidimus, & sine intermissione ad te clamamus à periculis erue nos, vt virtutū princeps cœlestium. Omnia exuperant sensum, omnia

niá sunt gloriosa in te Dei genitrix mysteria, castitate signata & virginitate custodita: mater cognita es sine fallacia, quæ verum peperisti Deum, *ipsi supplica, vt animas nostras saluet.*
Apostoli legatione fungimini apud misericordem Deum, vt peccatorum remissioné animabus nostris tribuat.
Pater Nicolae, *fungere legatione apud Christum Deum*, vt animæ nostræ salutem consequamur.
Apostoli, Martyres, & Prophetę, Sacerdotes, Confessores & Iusti, cum mulieribus sanctis, qui bene certamen consummastis, & fidem seruastis, fiduciam seruantes ad Saluatorem *pro nob. ipsis orate saluari animas nostras.* Qui primas inter Apostolos habētis sedes, orbisq; didascali apud omnium dominum *legatione fungimini*, vt pax mundo donetur & animabus nostris magna misericordia.
Adhuc offerimus tibi rationabile hoc obsequium pro fideliter dormientibus, pro patribus & proauis nostris, *interuenientibus* Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus, & omnibus sanctis.
Præcipue autem sanctissimæ intemeratæ, semper benedictæ reginæ nostræ, Dei genitricis semperq; virginis Mariæ.

S. POLYBIVS, EPISCOPVS.

Epist. ad Sabynum Episcopū.

Sed illa quidem de Deo, qui quærebatur a Magis, & significabatur per stellá ipsis Magis in Bethleem. Ego autem nunc quæro de sancto patre,
qui

qui Deum quæsitũ a Magis, & inuentum in Bethleem, & adoratum coluit, de Epiphanio magno sacerdote, *muro & propugnaculo Cypriorum*. Quin ergo pater sancte, propter meorum peccatorum multitudinem, non fui dignus qui viderem, &ç.

SABINVS EPISCOPVS. 420

De die autem & loco in quo sepultus est sanctę memorię pater noster, Episcopus Epiphanius, per has meas literas significo patri meo. Decem diebus fuerunt eius pretiosæ reliquiæ in Ecclesia in melie iacentes in loculo, multiq; qui egrotabant, & tangebant reliquias a morbo statim sunt liberati. Longinus autem & Petronius diaconi qui ab hæresi valentiniani specie tantum conuersi erant, ipsi prohibebant ne pater sanctus sepeliretur, dicentes: non licere mortuum in ciuitate poni in Ecclesia, ne forte per ipsum quoq; veniret ciuitas in periculum. &ç. Cum ergo esset magna contentio, venerandus diaconus Sabinus dixit cũ magna voce, & luctu amarissimo. *Sancte pater Epiphani scio & credo quod sicut cũ in hac vita degeres, Deum exorabas, ita etiam nunc quoq; potes, & aliquid amplius.* &ç. Episto ad Polybiũ.

S. MAXIMVS EPISCOPVS. Ao. 436.

Vt pernitiosius dominicum gregem feralis bestiæ rabies insatiata laniaret, nocendi artifex inimicus, peruigilis prius molitur custodiam pastoris eripere. Et ideo Syxtum ante omnes summũ Sermone de s. Laur.

Domi-

Domini ſacerdotem furor gentilis aggreditur: vt Eccleſiaſtica membra tam valido truncata capite velut munimine præſidij cœleſtis amoto, cruetus perſecutor inuaderet. Sed Magnus ille Syxtus, qui commiſsis à Deo ſibi ouibus affuerat paſtor in terris, *aderat patronus è cœlo.*

IDEM.

Homilia. in Natali ſanctorũ Martyrũ Tauricorum.

Cum omnium ſanctorum Martyrum fratres, deuotiſsime natalem celebrare debeamus, tũ precipue eorum ſolemnitas tota nobis veneratione curanda eſt, qui noſtris domicilijs, proprium ſanguinem profuderint. Nam licet vniuerſi ſancti vbiq; ſint & omnibus proſunt: *ſpecialiter tamen illi pro nobis interueniunt*, qui & ſupplicia pertulere pro nobis. Martyr enim cum patitur, non ſibi tantum patitur, ſed ciuibus ſuis: Sibi enim patitur ad prȩmium, ciuibus ad exemplum. Exemplo enim eorũ didicimus Chriſto credere, didicimus contumelijs vitam æternam quęrere, mortem didicimus non timere. Beati igitur Martyres, nec ſibi vixerunt, nec ſibi ſunt mortui. Exemplum enim nobis reliquerunt bene viuendo conuerſationis, tolerando fortiter paſsionis. Cuncti igitur Martyres deuotiſsime percolẽdi ſunt: ſed ſpecialiter ij venerandi ſunt, a nobis, quorum corpora poſsidemus. *Illi enim nos orationibus adiuuãt*, iſti etiam iuuant paſsione. Cum his autem nobis familiaritas eſt. Semper enim nobiſcum ſunt, nobiſcum morantur, hoc eſt & in corpore nos viuẽtes

tes custodiunt, *& de corpore recedentes custodiunt.* Martyres enim inferni porta non possidet, quoniam eos paradisi regna suscipiunt. Nam videmus eos vtiq; iam regnare. Cernimus enim ab ijs frequenter obsessos ab immundissimis dæmonibus homines liberari, ita vt cœlesti medicina & captiua anima de diaboli laqueis eruatur, & ipse diabolus vinculis igneis alligatus producatur de sua captiuitate captiuus, vt qui prædā paulo ante cœperat, ipse subdatur ad prædam. Hæc & alia potiora mirabilia per sanctos fieri omnibus notum est. Et ideo fratres veneremur eos in sæculo, *quos defensores habere possumus in futuro.*

IDEM.

Fœlix caterua virginum quibus studiū est tuæ sequi confessionis vestigia. Habebunt enim tecū coronam in cœlo quæ tecum superauerunt inimicum in mundo. Nam sicut tibi vestigia Mariæ prosequenti participatio æternæ remunerationis apparuit: ita eis te imitantibus, æterna credimus gaudia non neganda. Itaq; ò splendida, Christo, pulchra Dei filio, & omnibus Angelis & Archangelis grata, *vt nostri meminisse digneris, quibus te possumus precibus exoramus* : vt nobis ille tribuat peccatorum indulgentiam, qui tibi tuorum laborum tradidit palmam. Sermone de s. Agne

IDEM.

Licet hic (Nazarius) Mediolanensium peculiaris putetur priuilegio sepulchri, sed omnium est Sermone de s. Nazario & Celso.

cõmunione suffragij. Neq; enim istius vrbis charitas proflua & fides auara tantum huic Martyri derogauerit, dum sibi arrogat, vt solum erga mœnia sua *patrocinij illius beneficia* affutura esse crediderit. Nõ clauditur locis quod diffunditur meritis. *Inuocasti vbiq; Martyrem, vbiq; te exaudit, ille qui honoratur in Martyre.* Moderante itaq; eo qui pensat vota tua & dispensat munera sua, intantum vicina præsentia efficacis præbebitur aduocati, inquantum fuerit fides deuota suscepti.

IDEM.

Sermone de s. Nazario & Celso.

Si Martyribus regionis extraneæ pia votorum debita redderemus: proprijs consulere vtilitatibus & commodis probaremur. Nostros enim eos fides faceret, & remotis quamlibet finibus, sperata nobis patrocinia conrogarent. Studiorum siquidem sunt huiusmodi suffragia, non locorum. Proinde *apud domesticos Dei tantum intercessionis promerueris, quantum venerationis expenderis.*

S. GAVDENSIVS, EPISCOPVS Brixiensis.

Homil. de Apost. & Martyrib.

Tot igitur *Iustorum patrocinio adiuuandi*, tota fide, omniq; desiderio supplices ad eorum vestigia concurramus, *vt ipsis intercedentibus*, vniuersa quæ poscimus, adipisci mereamur, magnificantes Christum Deum tanti muneris largitorem.

IDEM.

Homil. de s. Apostolo.

Communicemus igitur fratres sanctorũ Apostolorum

stolorum memorijs, fide, opere, conuersatione, sermone, vt mereamur *eorum precibus ad omnia quæcunq; poscimus adiuuari*, largiente id gratia Domini nostri Iesu Christi.

S. AVGVSTINVS, EPISCOPVS.

Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorū tecta sunt peccata. Deinde iubet ea vela cooperiri pellibus arietinis rubricatis. Aries autē rubricatus, cui non occurrat Christus passione cruentatus? Significantur his etiam Martyres sancti, *quorum orationibus propitiatur Deus peccatis populi sui.* Ipsis deniq; super iaciuntur pelles hyacinthinæ, vt significetur vita æterna viriditate, tanquam vigore perpetuo. Lib. quest. in Exodū quest. 108.

IDEM.

Ille itaq; sensus ibi in promptu est, quod his verbis significat Deus plurimum apud se prodesse illi populo, quia sic ab illo viro diligebantur, quem sic Dominus diligebat: vt eo modo admoneremur, *cum merita nostra nos grauasset ne diligamur à Deo, releuari nos apud eum illorum meritis posse quos Deus diligit.* Eodē lib. quest. 149

IDEM.

Ostendatur mihi Romæ in honore tanto templum Romuli, in quanto ibi ostēdo memoriam Petri. *In Petro quis honoratur, nisi ille defunctus pro nobis?* Sumus enim Christiani, non Petriani. In Psalm. 44.

IDEM.

In Psalm. 85. Etenim lugent in morte ista, in tribulationibus istis, in peregrinatione sua. Et quia agnoscunt se in ista miseria, & gemunt, beati sunt. Quare lugent? Contristatus est beatus Cyprianus in passione, modo consolatus est in corona. Modo & cõsolatus adhuc tristis est: Dominus enim noster Iesus Christus adhuc interpellat pro nobis. *Omnes Martyres qui cum illo sunt interpellant pro nobis. Non transeunt interpellationes ipsorum, nisi cum transierit gemitus noster.* Cum transierit gemitus noster, omnes vna voce in vno populo, in vna patria consolabimur: milia milium coniuncta Psallentibus Angelis, choris cœlestium potestatum in vna ciuitate viuentium.

IDEM.

In Psalm. 88. Attendite ergo charissimi, tenete omnes vnanimiter Deum patrem & matrem Ecclesiam. Natalicia Sanctorum cum sobrietate celebrate, vt imitemur eos qui præcesserunt & gaudeant de nobis, *qui orant pro nobis: vt benedictio Domini in æternum maneat super vos,* fiat, fiat.

IDEM.

Concio. 2. Li. Annota. in Iob. cap. 19. Miseremini mei, miseremini mei, ò amici mei. Angelos videtur postulare, vt pro eo deprecẽtur, *aut certe sanctos,* vt pro pœnitente orent.

IDEM.

Locutionũ de Genesi libr. 1. cap. 200. Iacob benedicens nepotes suos filios Ioseph, ait inter cætera: Et inuocabitur in his nomen meum & nomen patrum meorum: *vnde notandum est,*

non

non solum exauditionem, sed etiam inuocationem dici aliquando quæ non Dei, sed hominum sint.

IDEM.

Non video quæ sunt adiumenta mortuorum: nisi ad hoc vt dum recolunt vbi sint posita eorũ quos diligunt corpora, *eisdem sanctis, illos tanquã patronis susceptos apud Dominum, adiuuandos orãdo commendent.* Quod quidem facere possent, etiã si talibus locis eos humare non possent. Cum itaq; recolit animus vbi sepultũ sit charissimi corpus, & occurrit locus nomine Martyris venerabilis, *eidem Martyri animam dilectam commendat* recordantis & precantis affectus. Lib. de cura pro mortuis gerenda. cap. 4.

IDEM.

Hinc & illa soluitur quæstio, quonam modo *Martyres ipsis beneficijs quæ dantur orantibus, indicant se interesse rebus humanis*, si nesciunt mortui quid agant viui. Non enim solis beneficiorum effectibus, verum etiam ipsis hominum aspectibus Confessorem apparuisse Fœlicem, ciuibus vel inquilinis piè à se dilectis, cũ à barbaris Nola oppugnaretur, audiuimus, non incertis rumoribus, sed testibus certis. Verum ista diuinitus exhibentur, longe aliter quam sese habet vsitatus ordo, singulis creaturarum generibus attributus. Alij sunt humanarum limites rerum, Alia diuinarũ signa virtutũ: alia sunt quæ naturaliter, alia quæ mirabilirer fiunt: quamuis & naturæ Deus assit vt sit, & miraculis natura non desit. Non igitur Eodem li. cap. 16.

ideo putandum est viuorum rebus quoslibet interesse posse defunctos, quoniam quibusdam sanandis vel adiuuandis, Martyres assunt: sed ideo potius intelligendum est, quod per diuinam potẽtiam Martyres viuorum rebus intersunt, quoniã defuncti per naturam propriam viuorum rebus interesse non possunt. Quanquam ista quæstio vires intelligentiæ meæ vincat. *quemadmodum opitulentur Martyres ijs quos per eos certum est adiuuari:* vtrum ipsi per seipsos assint, vno tempore tam diuersis locis, & tanta inter se longinquitate discretis, siue vbi sunt eorum memoriæ, siue præter suas memorias vbicunq; adesse sentiuntur: an ipsis in loco suis meritis congruo, & tamen generaliter orantibus pro indigentia supplicantium, sicut nos oramus pro mortuis quibus vtiq; nõ presentamur, nec vbi sint, nec quid agant scimus, Deus omnipotens qui est vbiq; pręsens, nec cõcretus nobis, nec remotus à nobis, *exaudiens Martyrum preces. per Angelica ministeria vsq; quaq; diffusa, præbeat hominibus ista solatia*, quibus in huius vitæ miseria iudicat esse præbenda: & suorũ merita Martyrum vbi vult quando vult, quomodo vult, maximeq; per eorum memorias, quoniam hoc nouit expedire nobis ad ædificandam fidem Christi, pro cuius illi confessione sunt passi, mirabili atq; ineffabili potestate hac bonitate commẽdet. Res hæc altior est, quam vt à me possit attingi, & abstrusior, quam vt à me valeat perscrutari,
&

& ideo quid horum duorum sit, an vero fortassis vtrunque sit, vt aliquando ista fiant per ipsam præsentiam Martyrum aliquando per Angelos suscipientes personam Martyrũ, definire non audeo.

IDEM.

Beatus Cyprianus quidem, iam corpore quod corrumpitur non aggrauante animam, nec deprimente, terrena inhabitatione sensum, multa cogitantem, serenius perspicit veritatem, quam meruit adipisci per charitatem. *Adiuuet itaq; nos orationibus suis in istius carnis mortalitate,* tanquam in caliginosa nube laborantes, vt donante domino quantum possumus bona eius imitemur. Lib. 5. contra Donatistas. ca. 1.

IDEM.

Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandã imitationem, & vt meritis eorum consocietur, *atque orationibus adiuuetur.* Lib. cõtra Faustum. cap. 21.

IDEM.

Nemo vobis fabulas vẽdat, In locis sanctis per totum orbem, quę frequentet nostra communio, *tanta mirabilia vel exauditionum vel sanitatum fiunt,* ita vt latentia per tot annos corpora Martyrum, quod possunt a multis interrogantes audire Ambrosio fuerint reuelata: & ad ipsa corpora cæcus multorum annorum, ciuitati Mediolanensi notissimus, oculos lumenq; receperit. Ex tractatu 13. In Ioannem.

IDEM.

Hoc beati Martyres ardenti dilectione fecerũt Tractat. 8. in Ioannẽ.

quorum ſi non inaniter memorias celebramus,atque in conuiuio quo & ipſi ſaturati ſunt,ad menſam Domini accedimus,oportet,vt quemadmodum ipſi,& nos talia præparemus. Ideo quippe ad menſam,non ſic eos commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requieſcunt,vt etiam pro eis oremus,*ſed magis vt orent ipſi pro nobis*, vt eorum veſtigijs adhæreamus : quia impleuerunt ipſi charitatem,qua dominus dixit non poſſe eſſe maiorem.

IDEM.

Sermo. 17 de verbis Apoſtoli.

Perfectio tamen in hac vita nonnulla eſt, ad quam ſancti Martyres peruenerunt, Ideoq; habet Eccleſiaſtica diſciplina quod fideles nouerũt, cũ Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, vbi non pro ipſis oretur, pro cęteris autem commemoratis defunctis oretur,*iniuria eſt enim pro Martyre orare,cuius nos debemus orationibus commendari:* Certauit enim contra peccatum vſq; ad ſanguinem.

IDEM.

Libr. 8.de Ciuitate Dei.ca.27

Honoramus ſane memorias eorum(Martyrũ) tanquam ſanctorum hominum Dei, qui vſq; ad mortem ſuorum corporum pro veritate certarũt vt innoteſceret vera religio,falſis religionibus fictiſq; conuictis: quod etiam ſi qui antea ſentiebãt timendo reprimebant. Quis autem audiuit aliquando fidelium ſtantem ſacerdotem ad altare, etiam ſuper ſanctum corpus Martyris, ad Dei honorem

norem cultumq; constructum, dicere in precibus: Offero tibi sacrificium, Petre vel Paule, vel Cypriane, cum apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos & homines & Martyres facit, & *sanctis suis Angelis cælesti honore sociauit:* vt ea celebritate, & Deo vero de illorũ victorijs gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem inuocato in auxilium, ex eorũ memoriȩ renouatione adhortemur? Quæcunq; igitur adhibentur religiosorum obsequia in Martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum, nõ sacra vel sacrificia mortuorum tanquam Deorum.

IDEM.

Sancti vero Angeli, quum & sine ira puniant, quos accipiunt ȩterna Dei lege puniendos, & *miseris sine miseriæ compaßione subueniant*, & *periclitantibus eis quos diligunt, sine timore opitulentur:* tamen istarum nomina pasionum cõsuetudine locutionis humanȩ etiam in eos vsurpantur. Libr. 9. de Ciuitate Dei. cap. 5

IDEM.

Quicunq; igitur sunt, in cælestibus habitationibus, immortales & beati, si nos non amant, nec beatos esse volunt, *colendi vtiq; non sunt.* Si autẽ amant, & beatos volunt, & profecto inde volunt, vnde & ipsi sunt: an aliũde ipsi beati, aliũde nos? Libro. 10. cap. 1.

IDEM.

Porro autem quæcunq; miracula, siue per Angelos, siue quocunq; modo ita diuinitus fiunt, vt Dei vnius, in quo solo beata vita est, cultum reli- Eodẽ. lib. cap. 12.

gionemq; commendent, *ea vere ab eis, vel per eos qui nos secundum veritatem pietatemq; diligunt,* fieri ipso Deo in illis operante credendum est. Vt & *cum exaudiunt Angeli* eius, ipse in eis exaudit, tanquam in vero, non manufacto templo suo, sicut in omnibus sanctis eius quæ temporaliter fiunt iussa, æterna eius lege conspecta.

Libro. 11. cap. 31.

IDEM.

Sancti Angeli ad quorum societatem & cōgregationem in hac peregrinatione laboriosissima suspiramus, sicut habent permanendi æternitaté, ita cognoscendi facilitatem & requiescendi fœlicitaté. *Sine difficultate quippe nos adiuuant,* quoniam spiritalibus motibus puris & liberis non laborant.

Libro. 16. cap. 36.

IDEM.

Erant enim proculdubio paternæ fidei & obedientiæ (Abrahæ videlicet) merita potiora, in tantū, vt propter illum dicat Deus, huic se facere bona, quæ fecit, Benedicentur, inquit, in semine tuo omnes gentes terræ: pro eo quod obaudiuit Abrahā pater tuus vocem meam, & custodiuit precepta mea & mandata mea, & iustificationes meas, & legitima mea. Et alio rursus oraculo: Ego sum, inquit Deus Abraham patris tui, noli timere tecū enim sum, & benedixi te, & multiplicabo semen tuum, propter Abraham patrem tuum.

Libro. 22. cap. 8.

IDEM.

Nam etiam nunc fiunt miracula in eius nomine, siue per Sacramenta eius, *siue per orationes, vel memorias*

memorias sanctorum eius, sed non eadem claritate illustrantur, vt tanta quanta illa gloria diffamentur. Canon quippe sacrarum literarum, quē diffamatū esse oportebat, illa facit vbiq; recitari & memoriæ cunctorum inherere populorum: hæc autem vbicunq; fiunt ibi sciuntur, vix à tota ipsa ciuitate vel quocunq; commanentium loco. Nā plerunq; etiam ibi paucissimi sciunt, ignorantibus cæteris, maxime si magna sit ciuitas, & quando alibi alijsq; narrantur, non tanta ea commendat authoritas, vt sine difficultate, vel dubitatione credantur, quam Christianis fidelibus à fidelibus indicentur. Miraculum quoq; Mediolani factū est, cum illic essemus, quando illuminatus est cœcus, ad multorū notitiam potuit peruenire, quia & grandis est ciuitas, & ibi erat tunc Imperator & immenso populo teste res gesta est, concurrente ad corpora Martyrum Protasij, & Geruasij. Quæ cum laterent & pœnitus nescirentur Episcopo Ambrosio per somnum reuelata, reperta sunt, vbi cęcus ille depulsis veteribus tenebris diē vidit.

IDEM.

Cui nisi huic fidei attestantur ista miracula, in qua prædicatur Christus resurrexisse in carne, & in cælum ascendisse cum carne? Nam & ipsi Martyres, huius fidei Martyres, id est, huius fidei testes fuerunt: huic fidei testimonium perhibentes, mū dum inimicissimum & crudelissimum pertulerunt, eumq; non repugnando, sed moriendo vicerunt. Eodē lib. cap. 9.

runt. Pro iſta fide præceſsit eorum mira patientia, *vt in his miraculis tanta iſta potentia ſequeretur.* Nam ſi carnis in æternum reſurrectio, vel nõ prę uenit in Chriſto, vel non ventura eſt, ſicut prenũciatur à Chriſto, vel ſicut prænũciata eſt à Prophetis, à quibus prenunciatus eſt Chriſtus: *quare Martyres tanta poſſunt*, qui pro ea fide, qua hæc reſurrectio prædicatur, occiſi ſunt? Siue enim Deus per ſeipſum miro modo, quo res temporales operatur æternus, *ſiue per ſuos miniſtros iſta faciat*: & eadem ipſa quæ per miniſtros facit, *ſiue quædã faciat etiam per Martyrum ſpiritus*, ſicut per homines adhuc in corpore conſtitutos: ſiue omnia iſta per Angelos, quibus inuiſibiliter, immutabiliter, & incorporaliter imperat, operetur: vt *quæ p Martyres fieri dicuntur, eis orantibus tantum & impetrantibus*, non etiam operantibus fiant, ſiue alia fiãt iſtis, alia illis modis, qui nullo modo comprehendi à mortalibus poſſunt: ei tamen atteſtantur hæc fidei, in qua carnis in æternũ reſurrectio prædicatur.

IDEM.

Eodẽ lib. cap. 10.

Nobis Martyres non ſunt Dij: quia vnum eundemq; Deum, & noſtrum ſcimus, & Martyrum: *nec tamen miraculis, quæ per memorias noſtrorum Martyrum fiunt*, vllo modo comparanda ſunt miracula, quæ facta per templa perhibentur illorũ. Verum, ſi qua ſimilia videntur, ſicut à Moſe magi Pharaonis, ſic *eorum Dij victi à Martyribus noſtris.* Fecerunt autem illa dæmones eo faſtu impure

re ſuperbiæ,quo eorum dij eſſe voluerunt. ***Faciũt autem iſta Martyres, vel potius Deus, vel orantibus vel cooperantibus eis***, vt fides illa proficiat,qua eos non Deos eſſe noſtros,ſed vnũ Deũ habere nobiſ cũ credamus. IDEM.

Quid non,inquit,properamus & currimus,vt patriam noſtram videre,vt parentes ſalutare poſſimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat,parentum,fratrum,filiorum frequens nos & copioſa turba deſiderat, iam de ſua incolumitate ſecura, ***adhuc de noſtra ſalute, ſollicita.*** Libro de Predeſt. Sanctorũ. cap.14.

IDEM.

Quem non multo poſt conuerſionem noſtrã, & regenerationem per baptiſmum tuum, ipſum etiam fidelem Catholicum caſtitate perfecta atque continentia tibi ſeruientem in Aphrica apud ſuos,cum tota domus eius per eum Chriſtiana facta eſſet,carne ſoluiſti, & nũc ille viuit in ſinu Abraham. Quicquid illud eſt, quod illo ſignificatur ſinu,ibi Nebridius meus viuit, dulcis amicus meus, tuus autem Domine adoptiuus ex liberto filius,ibi viuit. Nam quis alius tali animæ locus? Ibi viuit,vnde me multa interrogabat homuncionem inexpertem. Iam non ponit aurem ad os meum, ſed ſpiritale os ad fontem tuum, & bibit, quantum poteſt ſapientiam pro auiditate ſua ſine fine fœlix. ***Nec ſic eum arbitror inebriari ex ea, vt obliuiſcatur mei***, cum tu Domine quem potat ille, noſtri ſis memor. Lib.9.Cõfeſsio.ca.3

Idẽ.

IDEM.

De vera Reli.ca.55

Iusti autem homines & in vno Deo habentes omnia gaudia sua, quãdo per eorum facta Deus benedicitur, congratulantur laudãtibus. Quibus si similes, vel etiam mũdiores atq; sanctiores sunt boni Angeli, & omnia sancta Dei mysteria, quid metuimus, ne aliquem illorum offendamus, si nõ superstitiosi fuerimus, cum ipsis adiuuantibus ad vnum Deum tendentes, & ei vni religantes animas nostras, vnde religio dicta creditur, omni superstitione careamus? Ecce vnum Deum colo, vnũ omniũ principiũ: & vnã sapientiã qua sapiẽs est quæcunq; anima sapiens est: & ipsum munus, quo beata sunt quæcunque beata sunt. Quisquis Angelorum diligit hunc Deum, certus sum quod etiam me diligit. *Quisquis in illo manet & potest humanas preces sentire, in illo me exaudit*. Quisquis ipsum habet bonũ suum, *in ipso me adiuuat*, nec mihi eius participationem potest inuidere.

IDEM.

Libr.1. de Consens. Euã.ca.10

Cum enim vellent tale aliquid fingere Christũ scripsisse ad discipulos suos, cogitauerũt, ad quos potissimũ scribere potuisse facile crederetur, tanquam ad illos qui ei familiarius adhæsissent, quibus illud quasi secretum digne committeretur, & occurrit eis Petrus & Paulus. *Credo quod pluribus locis simul eos cum illo pictos viderunt, quia* merita Petri & Pauli etiam propter eundẽ passionis diẽ celebrius & solemniter Roma commendat.

Idem

IDEM.

Et tunc pro nobis absq; vlla dubitatione sancti Martyres intercedunt, quando in nobis aliquid de suis virtutibus recognoscunt. Serm. 244

IDEM.

Sic ergo exauditus est Sanctus Stephanus, vt eius orationibus deleretur peccatum quod commiserat Saulus. Commendemus ergo nos orationibus eius. Multo magis enim *nunc exauditur pro veneratoribus suis*, à regnante Domino nostro Iesu Christo. Sermo. de S. Stepha.

IDEM.

Christus in cruce. Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt. Stephanus sub lapidibus, Domine Iesu ne statuas illis hoc delictum. Quomodo posset iste non ibi esse, vbi erat quem sequutus, vbi erat quem imitatus est? Triumphauit, Coronatus est. Latuit tanto tempore corpus eius, processit quando Deus voluit, illuminauit terras, *tanta miracula fecit, mortuus, viuos facit mortuos, quia nec mortuus*. Ergo hoc commendo charitati vestræ, vt sciatis quod *orationes eius multa impetrãt*, non tamen omnia. Nam inuenimus etiam in libellis qui dantur, fuisse illi difficultates impetrandi, & *accepisse tamen postea beneficium non deficiente supplicis fide*. Non cessatum est, oratũ est, & dedit postea Deus per Stephanum. Sunt verba orantis Stephani, & responsum est illi. Pro qua oras nõ est digna, *hoc & fecit & tamen institit, rogauit, accepit*. Dedit nobis intelligere, quia in cuius Sermo. de eodem.

nomine faciebat ſigna & prodigia antequã carnẽ deponeret, *in eius nomine faciunt orationes eius vt beneficia impetrẽtur*, quibus nouit ea dari debere: Ille autẽ *tanquã ſeruus orat.* Per conſeruum beneficia ſumamus, honorem & gloriam Domino demus.

IDEM.

Sermo. de S. Paulo. Nunc ad memoriam piſcatoris, flectuntur genua Imperatoris, ibi radiant gemmæ diadematis, vbi fulgent benificia piſcatoris. Curuant genua ad memoriam piſcatoris, *qui eius auxilia, & apud Deum patrocinia inuocant.*

IDEM.

Sermo. de S. Lautẽt. Oremus igitur fratres beatum Laurentiũ, qui dum fide ſua perſecutionis flammas vicit, oſtẽdit nobis per ignem fidei gehennæ incendia ſuperari, & amore Chriſti diem iudicij non timeri. Nos vero fratres ſi ad conſortium ſanctorum Martyrum peruenire volumus, de imitatione Martyrũ cogitemus. Debent enim in nobis aliquid de ſuis virtutibus recognoſcere, *vt pro nobis Domino dignentur ſupplicare.* Si enim tormenta quæ ſancti Martyres pertulerunt, ſufferre non poſſumus, vel contra malas concupiſcentias *ipſis intercedentibus* repugnemus.

IDEM.

Epiſtola 42. Videtis certe ſimulachrorum templa, partim ſine reparatione collapſa, partim diruta, partim clauſa, partim in vſus alios commutata. Ipſaque ſimulachra, vel confringi, vel incendi, vel includi,

vel de-

vel destrui: atq; ipsas huius sæculi potestates, quæ aliquando pro simulachris populum Christianũ persequebantur, victas & domitas, non à repugnantibus, sed à morientibus Christianis, & contra eadem simulachra pro quibus Christianos occidebant, impetus suos legesque vertisse, *& imperij nobilißimi eminentißimum culmen ad sepulchrum piscatoris Petri submisso diademate supplicare.*

IDEM.

Vbiq; quidem Deus est, & nullo cõtinetur vel includitur loco qui condidit omnia, & eum à veris adoratoribus in spiritu & veritate oportet adorari, vt in occulto exaudiens, in occulto etiam iustificet & coronet. Veruntamen ad ista quæ hominibus visibiliter nota sunt, quis potest eius consilium perscrutari, quare in alijs locis hæc miracula fiant, in alijs non fiant? Multis enim notißima est sanctitas loci vbi beati fœlicis Nolensis corpus conditum est, quo volui vt pergeret, quia inde nobis facilius fideliusq; scribi potest quicquid in eorum aliquo diuinitus fuerit propalatum. Nam & nos nouimus Mediolani apud memoriam Sanctorum, vbi mirabiliter & terribiliter dæmones cõfitentur, furem quendam, quia ad eum locum venerat vt falsum iurãdo deciperet, cõpulsum fuisse confiteri furtum, & quod abstulerat reddere? Nunquid non & Aphrica Sanctorum Martyrum corporibus plena est? Et tamen nusquam hic scimus talia fieri. Sicut enim quod Apostolus dicit: Epist. 1. 37

Non omnes sancti habēt dona curationum, nec omnes habent dijudicationem spirituū, *ita nec in omnibus memorijs sanctorum ista fieri voluit ille, qui diuidit propria vnicuiq; prout vult.*

IDEM.

Lib.20 cō tra Faustū cap.21.

Nam quod etiam hinc nobis calumniatur Faustus, quod Martyrum memorias honoramus, in hoc dicens nos Idola conuertisse, nō tam me mouet, vt huic calumniæ respondeam, quā vt ipsum Faustum ostendam studio calumniandi etiam ab ipsis Manichęi vanitatibus exorbitare voluisse: & in vulgarem atq; Poeticam Paganorum opinionem, à quibus se alienissimū cupit videri, nescio quomodo incautum incidisse. Cum enim dixisset nos vertisse Idola in Martyres, quos vos, inquit similibus colitis, defunctorum vmbras vino placatis & dapibus: sunt ergo vmbræ defunctorum? & cætera populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, *atq; orationibus adiuuetur:* ita tamen vt nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamuis in memorias Martyrum constituamus altaria. Quis enim Antistitum in locis sanctorum corporū assistens altari, aliquando dixit: Offerimus tibi Petre aut Paule, aut Cypriane: sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronauit, apud memorias eorum quos coronauit: vt ex ipsorum locorū admonitione maior affectus exurgat, ad acuendā chari-

charitatē,& in illos quos imitari poſsimus,& in illū quo adiuuante poſſumus. Colimus ergo Martyres, eo cultu dilectionis & ſocietatis quo & in hac vita coluntur ſancti homines Dei, quorū cor ad talem pro Euangelica veritate paſsionem paratū eſſe ſentimus. Sed illos tanto deuotius quanto ſecurius poſt incerta omnia ſuperata, quáto etiam fidentiore laude prędicamus, iam in vita fœliciore victores, quam in iſta adhuc pugnantes. At illo cultu quæ græce Latria dicitur, latine vno verbo dici non poteſt, cum ſit quædā propriæ diuinitati debita ſeruitus, nec colimus, nec colendū docemus, niſi vnum Deum. Cum autem ad hūc cultum pertineat oblatio ſacrificij, vnde idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibēt: nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendū præcipimus, vel cuiquam Martyri, vel cuiquam ſanctæ animæ, vel cuiquā Angelo: & quiſquis in hunc errorem delabitur, corripitur per ſanam doctrinam, ſiue vt corrigatur, ſiue vt caueatur.

LVCIANVS PRESBYTER.

Oſculantes ſanctas reliquias iterū clauſerunt. Et tunc cum pſalmis & hymnis portauerunt reliquias beati Stephani in ſanctam Eccleſiam Syon vbi & Archidiaconus fuerat ordinatus: dereliaquentes nobis de membris eius paruos articulos imo maximas reliquias, terram cum puluere, vbi omnis eius caro abſumpta eſt, cætera aſportarunt Ex hijs ergo reliquijs tranſmiſi beatitudini veſtrę: Epiſto. ad vniuerſam Eccleſiā.

quas cum ſuſceperitis orate pro exiguitate mea, vt dignus inueniar in conſpectu Domini, *fultus beatiſsimi Martyris Stephani meritis* & veſtris orationibus.

S. IVLIA VIRGO.

In vitis patrum.

Domina mea ſoror Eufraxia *non obliuiſcaris mei*. Memento quia inſeparabiliter tibi coniuncta ſum ſuper terram. *Supplica Deo pro me:* vt me non ſeparet à te. Memento quia ego prouidi tibi bona certamina. *Deprecare Dominum vt me abſoluat ab hac ſarcina carnis*, vt merear tecũ abire cum fiducia.

EADEM AD SVAM ABBATISSAM.

Eodẽ lib.

Domina mea ora pro me, quia vocauit me Chriſtus, *intercedente pro me beata Eufraxia.*

PAVLINVS PRESBYTER.

In vita S. Ambroſij.

Tranſlato corpore Martyris Nazarij ad Baſilicam Apoſtolorum, vbi pridem Sanctorum Apoſtolorum reliquiæ ſumma omniũ deuotione poſitæ fuerunt, cum tractaret Epiſcopus, quidam de populo, repletus ſpiritu immundo, clamare cępit ſe torqueri ab Ambroſio. At ille conuerſus ad eũ ait. Obmuteſce diabole, quia *non te torquet Ambroſius, ſed fides ſanctorum*, & inuidia tua, quoniã illo vides aſcendere ſanctos homines, vnde tu deiectus es.

S. CYRILLVS EPISCOPVS.

Sanctos Martyres neq; Deos esse dicimus, neq; adorare consueuimus: *laudamus autem eos potius summis honoribus*, quod pro veritate strenue certarunt, & fidei synceritatẽ seruarunt, ita vt & suã animam contempserint, & mortis terroribus valedicentes pręualuerint in summis periculis, tanteq; fuerint fortitudinis, quasi statuas sibi suę vitæ excitaturi. Proinde non est indignũ imo etiã necessarium eos qui tam claris operibus gloriosi sunt, *perpetuis honorari laudibus*. Et quoniam optimus iste (Iulianus Apostata) sanctos non sinat absq; reprehensione venerari, quamuis & Plato dicat de his qui optime voluerunt &ç. Nos autẽ non Deos factos esse diximus sanctos Martyres, sed omni honore dignari consueuimus, quodam modo reponentes memoriam illis immarcescibilem, pro honoribus & remuneratione fortitudinis tam conspicuę. Lib. 6. cõtra Iulianum.

IDEM.

Vnus Deus, & vnus mediator Dei & hominũ Iesus Christus, qui dedit semetipsum in redẽptionem pro omnibus. Mediator Dei & hominũ Iesus Christus est, non solum quia reconciliauit homines Deo, verumetiam quia naturaliter & substantialiter & Deus & homo in vna hypostasi est. Hoc enim modo naturam nostram sibi Deus reconciliauit. Nam aliter, quomodo vnum mediatorem Paulus dixisset? *Multi enim sanctorum mediationis ministerio vbi sunt*, & ipse Paulus cla- Lib. Thesauri, ca. 10

mat: Rogamus pro Christo, reconciliamini Deo. Moses quoq; mediator fuit: ministrauit enim filijs Israel legem datam à Deo. Mediator etiã fuit beatus Hieremias præcipue quando clamabat ad Deum: Recordare mei stantis coram te, ad loquẽdum pro ipsis bona. Quid multa? *singuli Prophetarum mediatores fuerunt, Apostolorum quoq; singuli.* Quomodo igitur vnicus mediator Dei, & hominum Christus est, nisi noua inauditaq; in alijs mediatio sua sit? Sed modum perstringere nõ est alienum. Quod igitur duo quædam sicut medium coniungit, ab vtroq; necessario tangitur: & hoc modo diuersa per medium coniunguntur. Est autẽ Christus mediator Dei & hominũ, quia in eo vno, Deus & homo coniunguntur. Non est tamen ipse aliquid tertium præter Deum & hominem, sed Deus naturaliter nobiscum coniungitur, diuinæ substantiæ natura nostra in ipso coniungitur, & hoc modo diuina natura communicamus.

IDEM.

Libr. 9. in Leuiticũ.

Quid sibi vult quod de anima diuitis epulonis in inferno sepulti Christus Deus noster affirmat, non quidem parabolicos, nam quãdo in parobolis loquitur, ipse se solet explicare. Vnde diuiti tã perspicax cognitio quod cum magnum chaos & ingens esset inter animã sancti Abrahę, & ipsum, *tam longe ipsum cognosceret & deprecaretur? Et vnde Abrahæ animæ tam viuax & potens auditus, vt epulonis animam posset audire, & cum eo colloqui,*

qui, insuper quod quinq; fratrum suorum in terra viuentium recordaretur damnata illa anima, adeo vt illos viuentes tunc intelligeret, ipsa in inferno sepulta? Profecto hic locus manifestam ***eorum cognitionem quæ ad nos pertinent in separatis animabus clare ostendit***, & tantam quidem, quanta sufficit ad beatitudinem aut miseriam.

AVITVS PRESBYTER.

Deinde vt in diebus ipsis quibus iam ipse reditum incredibili desiderio, parabat, beatus & vere sanctus corona gloriæ nostræ in Christo Iesu primus Martyr Stephanus se reuelare & manifestare signis & virtutibus euidentissime sequẽtibus dignaretur, quem ego tantarum rerum ordinatoris Dei occasionem præceptũ, dignus duxi charitati vestræ præmittere ***vt ipse præsens aduocatus & patronus obsequentium sibi petitionibus dignetur assistere***, qui cum pateretur, etiam pro inim[icis] orare dignatus est. Certus sum enim quia sicut ipse beatus Martyr dignatus est nũciare, & pro salute mũdi periclitantis se manifestare, ***auxilio et præsentia tanti patroni***, si vos tale pignus digno studio diligatis, tuti ex hoc quietiq; viuatis. Episto. ad Balchonium & Clerũ, populũq; Eccles. Vracaren.

S. EVCHERIVS EPISCOPVS.

Si Propheta Hæliseus puerum suum Giezi absens corpore vidit accipientem munera, ***quanto magis in illo corpore spirituali videbunt sancti omnia?*** non solum si oculos claudant, verumetiam Libr. 4. in libros Regũ, cap. 20

vnde ſunt corpore abſentes. Tunc enim perfectũ erit illud de quo loquens Apoſtolus ait: ex parte ſcimus,& ex parte prophetamus, cum autem venerit quod perfectũ eſt, euacuabitur quod ex parte eſt. Itane igitur cum venerit quod perfectũ eſt, nec iam corpus corruptibile adgrauabit animam ſed incorruptibile nihil impediet,illis ſancti ad ea vidéda ſunt oculis corporeis,quibus Heliſæus abſens ad ſeruum ſuum videndum non indiguit,indigebunt? Nã hæc ſunt verba Prophetæ ad Giezi. Nonne cor meum erat tecum,quando conuerſus eſt vir de curru in obuiam tibi,& accepiſti pecuniam? Corde ſuo ergo dixit ſe hoc vidiſſe Propheta adiutus quidem mirabiliter nullo dubitante diuinitus: ſed quanto amplius nunc omnes munere iſto abundabũt cũ Deus erit omnia in omnibus?

PRIMASIVS EPISCOPVS.

Lib.2 Cõ. in Apoca. cap.

Hæ ſunt vaſa aurea in domo magna, boni odoris Chriſti ſuauitate fragrantia. *Orationes porro ſanctorum* gratiarum actiones ſunt, congratulantiũ pro mundi ſalute,*& interceſsiones pro paruulorum ſtabilitate.*

EVTHYMIVS MONACHVS.

Encomio in beatam Virginem Mariam.

Audi filia & vide,& inclina aurem tuã. Vides enim,vides ante pedes pulcherrimę capſę tuę nos omnes tuum poſtulare auxilium, *expectantes tuã defenſionem*,tuum in omnibus inuocantes patrocinium. Itaq; vt dum hic quidem manemus, *nos prote-*

protegas supplicamus, rursus autem vt cum excedemus, in ędibus semper viuentibus, & luminosis habitemus obsecramus. Contra autem nobis par cat tuus filius & Deus, *perēnibus tuis orationibus*. Nihil enim est, quod tibi sit impedimento ò impolluta virgo.

THEODORETVS Episcopus.

Cum cætera omnia paulatim marcessere, abolerięq; Deus instituerit: Martyrum tamē gloriam incorruptam seruauit. Ac animæ quidem triumphatorum Martyrum in cœlesti nunc patria vitā agunt, Angelorum choris insertæ. Eorū vero corpora non singula quidem singulis monumentis conduntur, sed ciuitates, oppida, paganiq; conuētus, hęc inter sese sortito partiti sunt, *laborātibusq; animis, ac ægrotis corporibus salutares eos confiteri non cessant*. Nihiloque secius vrbium custodes, ac locorum pręsides venerantur, *quorum precibus & interuentu apud Deum vtentes* per eos dęmum diuina munera consequuntur. Sectis itaq; eorū corporibus, integra tamen vis & gratia perseuerat, tenuesq; ac tantillæ reliquiæ toti parem habēt, nullasq; in partes, Martyri dissecto, virtutem. Gratia enim quæ pollens vigensque persistit, petentibus dona distribuit, fidei supplicantium liberalitatem suam commensa.

Libr. 8. de cura Greca. affecti.

IDEM.

Antiochus quidem Deus vocatus est, & Caius

Eodē lib.

qui Tiberio Imperatori succeſsit: Veſpaſian⁹ quoque,& Hadrianus ſibi templa ingentia excitarũt. Verum & vitali ſimul aura, & impio honore priuati ſunt. Martyrum vero templa conſpicua cernuntur,magnitudineq; pręſtantia,omni pręterea ornatus genere variata , ſplendoremq; quodammodo pulchritudinis ſuæ late fundentia.Neq; vero hæc per annum ſemel aut bis,quinquies aduẽtamus , ſed in eis ſæpenumero dies feſtos peragimus, ſæpe diebus ſingulis eorum Martyrum Domino,laudes hymnoſq; cantamus. Quiq; homines proſpera ſunt valetudine,***conſeruari eam ſibi à Martyribus petunt***, qui vero ægritudinem aliquã patiuntur, ***ſanitatem expoſcunt.*** Inſuper & ſteriles viri & mulieres dari ſibi filios petunt,integra ſibi & propria cuſtodiri,quæ conſecuti ſunt dona. Itẽ qui peregre aliquo proficiſcuntur, ***petunt Martires ſibi comites eſſe in via, vel potius itineris duces.*** Qui vero iam ſoſpites redierunt, gratias agunt,acceptum beneficium confitentes. Non qui ſe ad Deos accedere arbitrentur, ***ſed qui orent Dei Martyres tanquam diuinos homines, interceſſoreſq; ſibi eos apud Deum aduocent & precentur.*** Pie vero fideliterq; precatos ea maxime conſequi quæ deſiderant, teſtantur illa quæ votorũ rei dona perſoluũt,manifeſta nimirum adeptæ ſanitatis iudicia. Nam alij quidem oculorum,alij vero pedum, alij porro manuum ſimulachra ſuſpendunt ex argento auroue confecta. Gratiſsime namq; accipit eo

rum

rum Dominus qualiacunq; sint dona, nec exigua nec vilia dedignatur: quippe qui ea proferentis facultate metitur. Hæc itaq; omniū spectaculo exporrecta testantur morborum depulsionē, cuius ipsa certissima signa sunt, à sanitatem consequutis allata. Hæc, inquam, *sepultorum ibi Martyrum quæ sit virtus, ostendunt.* Martyrum autē virtus, quem ipsi coluerunt Deum, verum esse declarat. Cum igitur talem tantamq; vtilitatem ex Martyribus honore collato prouenire hominibus videatis, fugite quæso errorem dæmonum, prçuioq; ductu Martyrum facibusq; vtentes, viam capescite quæ ad Deum perducit, vt immortali æuo illorū choris & præsentia perfruamini.

IDEM.

Hoc mihi quoq; in præsentia opus est auxilio, qui conor eorum vitam scribere Sanctorum, qui parum ante nos & nostris temporibus claruere, & veluti quasdam leges; ijs qui imitari volent, velim proponere. *Horum ergo sunt preces inuocandæ,* & incipiendum est narrare. Historia quę Theophilis dicitur, capi. 1.

IDEM.

Vnumquodq; ex duobus oratorijs, vnum quidem Apostolorum, alterum vero Martyrum accepit reliquias. Rogo autem *vt per horum omnium intercessionem diuinum consequar auxilium.* Cap. 3.

IDEM.

Plane scio, quod si Sanctorum memoriam fecero in hominibus, futurum quoq;, vt ij *mei memine-* Cap. 5.

minerint apud Deum.

IDEM.

In fine Historię Patrum.

Ego autem nunc obſecro vt quam dare poteſt, S. Symeon, *eius conſequar interceßionem:* & ſcio me conſecuturũ. Omnino enim dabit petitioné, imitans Dei benignitatem. Ego quoque obſecro eos, quorum vitam conſcripſi, ne me deſpiciant, procul degẽtem ab illorum ſpirituali chorea: ſed trahant infra iacentem,& ad virtutis tollant altitudinem,& ſuo choro coniungant.

IDEM.

In Philoteto ſuo.

Equidem ipſe adoleſcentulus adhuc vna cum matre mea ad eum profectus ſum, eiuſq; ſpectator fui,& vna cum illa ab eo benedictionem accepi, ſed illa pro veſtibuli quidem foribus mihi vero intro admiſſo,ſuæ orationis theſaurum impartitus eſt: *quem vtinam nunc me conſecutum ſentiã cum illum viuere,& in Angelorum chorum relatũ* multa gratia apud Deum florere credo. Quã ſane gratiam tunc Deus mortali eius corpore metiebatur,ne ſi redundaret,deſidem illum redderet.Nũc autem depoſco affectuum onere,vt triumphator athleta à Domino magni penditur, cuius rei gratia,*eius apud Deum orationis me participem fieri rogabam.*

S. IACOBVS ACÆTA.

Vide Hiſt. Theodoreti.

Nec me nec vllo alio tibi ò Theodorete opus eſt ad Deum interceſſore. Habes enim Ioannem illum

illum insignem, verbi vocem, Domini prçcursorẽ *has pro te preces aßidue offerentem.* Esto bono animo habes Ioannem baptistam.

IDEM.

Quando hos ciuitatis patronos qui à Phçnicia venerũt & Palestina, cum Dauidica excepisti choræa, audiui vocem dicentem, ne timeas ò Iacobe. Magnus enim Ioãnes baptista *tota nocte orat Deũ vniuersorum.* Facta enim fuisset magna cædes, nisi *illius intercesßionibus*, fuisset extincta diaboli audacia. In eadem Historia.

S. LEO PAPA. vixit Aº. 452

Si quid etiam nostris temporibus recte per nos agitur, recteq; disponitur, illius operibus, illius sit gubernaculis deputandum, cui dictum est: Et tu conuersus, confirma fratres tuos. Et cui post resurrectionem suam Dominus ad trinã æterni amoris professionem mystica insinuatione ter dixit: Pasce oues meas. Quod nunc quoq; procul dubio facit, & mandatum Domini pius pastor exequitur, confirmans nos cohortationibus suis, *& pro nobis orare non cessans, vt nulla tentatione separemur.* Si autem hanc pietatis curam omni populo Dei, sicut credendum est, vbiq; prçtendit, quanto magis nobis alumnis suis opem suam dignatur impendere, apud quos in sacro dormitionis thoro, eadem qua prçsedit carne requiescit? Sermone 3. de Anniuersario sui Ponti.

IDEM.

Quia

De ieiuni. decimi mẽsis.

Quia in orationibus permanet fides recta, in ieiunio innocẽs vita, in eleemosinis mens benigna. Quarta igitur & sexta feria ieiunemus. Sabbato autem apud beatissimum Apostolum Petrum vigilias celebremus: *qui & orationes* & ieiunia & eleemosinas nostras *precib⁹ suis dignabitur adiuuare.*

IDEM.

Sermone 5. de codẽ Ieiunio.

Sabbato apud præsentem beatissimum Apostolum Petrum vigilias celebremus. Qui sicut experimur & credimus, *pro commendatis sibi ouibus indesinenter pastorales prætendit excubias, exoraturus deprecationibus suis*, vt Ecclesia Dei, quæ ipsius est prædicationibus instituta, ab omni errore sit libera.

IDEM.

Sermone 1. de Natali. Aposto.

Sicut autem & nos experti sumus, & nostri probauere maiores, credimus atq; confidimus, inter omnes labores istius vitæ, ad obtinendam misericordiam Dei, *semper nos specialium patronorũ orationibus adiuuandos*, vt quantum proprijs peccatis deprimimur, tantum Apostolicis meritis erigamur.

S. EPHRAIM EPISCOPVS Chersonis.

Oratione de laudib. s. Clemẽt.

Sed ò Martyrum splendor & decus Sanctorũ, primitiæ Antistitum, vide nunc quoq; hunc præsentem cœtum pium & religiosum, qui à vitæ fluctibus quotidie obruitur. *Eum tuis precibus illæsum custodi & conserua*, & quia tanquam ferę im-

manes

manes insiliunt dæmones, & minantur sese esse deuoraturos animæ nobilitatem, *tuarum intercessionum iaculo repelle* ò sanctissime: Sed vos quoq; ò fidelissimi cœtus, rogo vt per bona & Deo grata opera, efficiamus nos dignos sancti gratijs & donis.

Concilium Calcedonense.

Actione.11

Sanctus Martyr Flauianus *oret pro nobis.*

Gennadius Massiliensis.

Li. de dogma. Ecclesiast. ca. 73

Sanctorum corpora & præcipue beatorũ Martyrum reliquias ac si Christi membra *syncerissime honoranda*, & basilicas eorum nominibus appellatas velut loca sancta diuino cultui mancipata, affectu pijssimo & deuotione fidelissima adeundas credimus. Si quis contra hanc sententiam venerit non Christianus, sed Eunomianus & Vigilantianus creditur.

S. Vigilius Martyr.

In vita. S. Sisinnij ad Simplicianum.

Nunc me immeritum, Sancte Sisinni, vtroque consortem paterno amore consolare, & cum eisdem sanctis *apud ipsos exorator accede*, quatenus possim die illa fimbriam, aut Sacerdotũ, aut Martyrum, iam omnibus sepositis peccatis, attingere.

Procopius Gazeus.

Lib. com. in Genes.

Ecce vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra: Hoc loco sanguis pro anima accipi potest verissime: *Nam Deus exaudit Sanctos, & si*

mortui

mortui fuerint, eos immortalē vitā viuere oſtēdēs.

S. PROSPER EPISCOPVS.

Morientis verba hæc ſunt.

Neq; velim fratres diſceſſum hunc à vobis meum arbitremini, ſed ad longe meliorē ſtatum acceſſum: vbi multo vtilior vobis ſum futurus, ſi in dilectione, ad quam vos ſemper hortatus ſum per manſeritis, & mutuæ charitatis, mandatorumq; Dei memores eritis. Si enim putatis me potuiſſe vobis huc vſq;, *qualem me futurum deinceps erga vos credere debetis, vbi inexhauſtum bonorum omnium theſaurum attigero?* Igitur abſtergite iam lachrymas, & flendi finem facite, gaudendū vobis hac in re, magis quam dolendum exiſtimate.

S. VICTOR EPISCOPVS Vticenſis.

Lib. 3. perſecutionis VVandalicæ.

Deprecamini Patriarchæ, de quorum ſtirpe generis nata eſt Eccleſia, quæ nunc laborat in terris. *Orate ſancti Prophetæ*, cognoſcentes afflictā, quā antea vaticinante prçconio cecinistis. *Eſtote Apoſtoli ſuffragatores eius*, quam vt congregaretis, vniuerſum orbem aſcendente in vobis Domino, vt equi velociſsimi curſitaſtis. Præcipue tu Petre beate, quare ſiles pro ouibus & agnis, à communi domino magna tibi cautela & ſollicitudine commēdatis? Tu ſancte Paule, gentium magiſter, qui ab Hieruſalem vſq; ab Illiricum prædicaſti Euangelium Dei, cognoſce quid Wandalici faciant Arriani, & filij tui gemunt lugendo captiui. *Vniuer*

ſiq;

ſiq; ingemiſcite ſancti ſimul pro nobis Apoſtoli. Sed ſcimus quia indignum eſt vobis pro nobis orare, quia iſta quæ venerunt nobis non ad probationẽ quomodo ſanctis, ſed malis meritis ſupplicia debebantur. *Sed & pro malis orate iam filiys*, quia & Chriſtus orauit etiam pro inimicis Iudæis. Sufficiant caſtigationi quæ iuſte illata ſunt nobis, & iam iamq; delinquentibus venia poſtuletur. Dicatur Angelo percutienti ſufficit: iam cohibe manum tuam. Quis ignoret hæc nobis probrorũ noſtrorum ſcelera procuraſſe, aberrantibus à mandatis Dei, & in lege eius nolentibus ambulare? *Sed proſtrati rogamus* vt nõ ſpernatis veſtros miſeros peccatores, per eum qui vos ad Apoſtolicum culmen prouexit, humiles piſcatores.

IDEM.

Prędicaturus triumphos Martyrum beatorum ad enarranda quæ geſta ſunt, auxiliũ expoſco diuinum, vt qui illis præſtitit ſuperandi victoriam, mihi indigno & immerito quantulacunq; verborũ porrigat ornamenta. Tunc enim valebo quæ deſignata ſunt indicare, *ſi ipſi dignẽtur pro me miſero domino ſupplicare.* In paſsiõe 7. Marty. Carthagi nentium.

ANTHONINVS EPISCOPVS. Conſtantinienſis.

Ecce gaudet Chriſtus & inſpicit te, nẽ deficias, & dæmones qui nunc lugent, gaudeant. Tecum eſt omnis chorus Martyrum præceſſorum tuorũ, Epiſto. ad Arcadium exulem.

expectant te Martyres & defendunt,& coronam extendũt. Qualis eris cum te cum sancto Stephano videris? Qualis eris, cũm Petrum & Paulum, *quos rogare solebas, vt patronos*, habebis amicos? Iam in stadio es,calca fortiter,ne timeas,nihil paueas, nihil penitus pertimescas: quia omnis pro te Ecclesia deprecatur vt vincas,expectat te Ecclesia Catholica Martyrem suum, vt honorificet sicut Stephanum suum.

S. FVLGENTIVS EPISCOPVS.

Sermone de laudib. Mariæ ex partu saluatoris.

Venite virgines ad virginem Mariam, & letamini. Ponite maledictionem preuaricationis, & benedictionem restaurationis assumite: Proijcite dolores,quos Eua per serpentem accepit, & quos per Angelum Maria suscepit honores assumite. Pellite tristitiam concipientes, gemitus parturientis abijcite,vt solus vobis iste virginis filius dominetur. Venite virgines ad virginem concipientes ad concipientem, parturientes ad parturientem, matres,ad matrem,lactantes ad lactantem, iuuẽculæ ad iuuenculam. Ideo omnes istos cursus naturæ Maria in Domino nostro Iesu Christo suscepit, *vt omnibus ad se confugientibus fœminis subueniret, & sic restauraret omne genus fœminarum, ad se venientium* noua Eua seruando virginitatem, sicut omne genus virorum Adam nouus,recuperat dominus noster Iesus Christus.

S. TIMOTHEVS EPISC. ALEXANDRI.

Ab

Ab eo autem die credidit magna multitudo gẽtilium & hęreticorum, admirantes, ſtupẽtes quod Deus *per ſancti interceſsionem curet* omnem animam. Eutropius vero laudauit & benedixit dominum Deum, & omnes ſanctos eius, qui per ipſos dat ſalutem populo. In S. Menæ Martyris vita.

Evagrivs Prætor.

Theodoſius Imperator, reuocatis quæ fieri iuſſerat, ſanctiſsimum Symeonem Martyrem precatus eſt, *vt pro ſe ſupplicaret, & oraret*, benedictionemq; ſuam impartiret. Lib. 1. Eccleſiaſt. Hiſt. cap. 13.

Idem.

Ardaburius autem Oriẽtalium exercituũ dux, vna cum militaribus ordinibus quos ſecum habebat, & reliquis in ipſa Mandra conſtitutus, pretioſiſsimum corpus beati Symeonis ne a vicinis ciuitatibus abriperetur, cuſtodiuit. Cum maximis itaque miraculis, quæ in itinere quoq; ædebantur ſacerrimum illius corpus Antiochiam deportatur quod & Leo Imperator ab Antiochenis accipere petijt, ad quem Antiochæni preces obtendẽtes ad hunc modum ſcripſerunt. Quoniam ciuitas noſtra muros non habet, ſunt enim illi per indignationẽ deiecti, *ſacroſanctum corpus hoc adduximus, vt nobis & murus ſit & munitio.* Imperator igitur huiuſmodi precibus motus, ſacrum corpus illis reliquit. Multa enim illius ad nos vſq; ſeruata ſunt, cuius etiam ſacrum verticem cum multis Ibidem.

ſacerdotibus vidi, cum celeberrimus Gregorius Epiſcopatu fungeretur, & Philippicus precioſas ſibi ſanctorum reliquias, *ad cuſtodiam Orientaliū expeditionum mitti peteret.*

PROCOPIVS CÆSARIENSIS.

Lib.1.hiſt. Iuſtinianus Imperator cum grauiter ægrotaret, medicorum auxilio deſtitutus relicta arte humana, fiduciam vertit ad reliquias ſanctorum quatuor Martyrum qui olim quidem Romani milites fuerant, *ſicq; in ſumma neceßitate veris opinionibus adiutus eſt.*

FORTVNATVS EPISCOPVS, Pictauenſis.

Prefatione in diui Martini geſta. Cum iuſſeris, vt opus illud Chriſto præſtante, *interceßionibus Domini Martini* quod de illius virtutibus explicuiſti, verſibus debeat dirigi, id age vt ipſum mihi relatum iubeatis tranſmitti. Illud certe poſtulans, vt eius à nobis pietas impetrata pro nobis humilibus, & ſuis peculiaribus, *intercedere non deſiſtat.* Da pater dulcis veniam, quia lituram tantam in meſſe ſcribenti, pluuia ſuperlapſa ſuffudit.

IDEM.

Lib 2. Vitæ. S. Martini.

Vir tranſcriptæ potens, æterna in ſæcula cuius
Signifer arma crucis fers nobilitata triumphis,
Dulcis, adorande, & mihi pectore, voce, colĕnde
Cuius proſaicis cecinit prius acta Seuerus,
Verſibus intonuit Paulinus deinde beatus
Æquiparare valens illuſtris vterq; relator

Materia

Materia victi, ſed & ipſi carmine cedunt.
Luminibus tantis ego nubilus inſeror audax
De minimis minimus, de magnis maxima tentās
Qui pede ſubtitubo, balbutio fauce & anhelo
Et rudis eloquio carpo quod condere certo,
Da veniam, quia te cecinit rea lingua relatu.
Fer pietatis opem miſero, miſerior
Rector vt altithrono cum venerit arbiter orbis
Tum memor obtineas delicti obliuia noſtri:
Inter me & Dominum mediator adeſto benigne,
Quem ſua culpa ligat, *tua vt interuentio ſoluat*,
Spes Fortunati ſit fida ſalutis egeni,
Suppliciter humilem tibi ſe ſtrauiſſe patrone,
Qui lepræ maculas, medicata per oſcula purgas,
Mortis & extremæ, reuocas in origine finem,
Carnis adhuc fragilis quondā ſub imagine cōſtās
Nunc opus vt mites pietas tua commodet aures,
Nam prece, multa vales apud illum, cuius haberis
Quod peto tu poteris, quia totum præſtat amicis,
Sic tibi quæque petis, tribuat præſentia Regis.

IDEM.

Inter quos proceres, & culminā celſa, Lib.3.
Patricijs mixtus generoſis, conſulibuſq;,
Proximus & Regi reſides Martine ſeruator,
Cui dedit arma fides, & cui fiducia Rex eſt,
Miles amore, & factus honore coheres,
Qui potes ore mei veniam depoſce reatus
Et vitiata tibi lingua remurmurat audi
Et de fonte pio fluat indulgentia lęſo

Ac te orante, ſacer redeat medicata cicatrix.

IDEM.

Lib.4. *Intercede precor veniam*, vir adepte coronam,
Eripe paſtor ouem, ne clauda, vel extera reſtet,
Porrige celſe manũ, rege greſſum, dirige ſenſum.
Exceſſuſq; graues leuiori examine penſes
Ac potius pietas diues, miſerando precetur,
Mitis & exortes placident fomenta medelę.
Inter & ipſe Deum atq; reum mediator adeſto,
Defixis genibus, tenſis ad ſydera palmis,
Vocibus incluſis, animis penetrantibus auras,
Obtineas meritis, iudex cum venerit orbis.
Tu quoque iuſſus eris dextro reſidere ſedili,
Arbiter in populos, tribuum pauor ante tribunal
Qualiter effugiam flamma ſtridente caminum?
Tunc precor vt fragilem ſacro velamine celes
Et tua me trepidum defendat ab igne poteſtas,
Nam ſcio reum quemuis tibi cedere Chriſtum
Quem ſociat proprio manſura in ſæcula regno
Sis precor in domino famuli memor alme per ipſum
Cuius erit tibi met lumen ſine fine videndum.

GEORGIVS PRESBYTER.

In vita S. Theodori Sicæi.

Accidit autem vt poſteaquam ad manſionem ſuam reuerſus eſt, in morbũ grauiſsimum incideret, & ſancti Angeli ad eum viſendum accederẽt. Ipſe vero cœpit flere ac triſtis eſſe. Erat autem ſuper ipſum imago ſanctorum Coſmę & Damiani miraculis illuſtrium, qui tales ſe illi ſecundũ quietem

tem conſpicuos obtulerunt,quales ea pictura exprimebantur. Et accedentes ad eum,quemadmodum ſolent medici venarum pulſum explorabāt atq; inter ſe ita colloquebantur , vt de ſalute eius propterea quod vires ipſius concidiſſent,deſperare videretur,& ad eum conuerſi dicebant. Quid fles frater? Cur triſtis es? Ipſe vero reſpondebat, quia non egi pœnitentiam , & quia relinquo puſillum hunc gregem,qui nondum eſt perfecte inſtitutus & magna indiget diligentia. Tunc illi, *vis vt pro te ſupplicemus*, vt tibi paululum ad huc ad viuendum ſpatij concedatur? Si hoc inquit feceritis, & tempus mihi ad reſipiſcendum impetrabitis,& pœnitentiæ meæ mercedem lucrabimini. Sancti autem ad Angelos conuerſi, rogabant eos vt illius tantiſper curam gererent, *dum ipſi ſupplicatum pro illo ad regem irent*, & cum Angeli ſe id facturos dixiſſent, Sancti, Coſmas & Damianus profecti ſunt, & *pro Theodori ſalute omnipotenti Regi Chriſto* Deo noſtro, qui in cælis eſt, quiq; & Ezechiæ quindecim vitæ annos adiunxerat, *ſupplicabant*. Itaq; voti compotes reuerterunt,in medio ipſorum habentes adoleſcentem, Angelis qui aderant,aſpectu quidem ſimilem,ſed gloria præſtantiorem, qui præſentes Angelos ſic alloquutus eſt,ab eo recedite,placatus enim eſt cōmunis omnium dominus,& gloriæ Rex,& permittit vt adhuc in carne maneat. Qui ſtatim vna cum ipſo in cœlum redierunt. Sancti vero Coſmas & Da-

mianus, surge inquiunt frater, & attende tibi & gregi tuo, benignus enim clemens dominus noster, *preces nostras pro te suscepit*, & largitus est tibi vt viuas, paresq; cibum qui non perit, sed maneat in vitã æternã, & multarũ animarũ salutẽ cures.

Gordianvs Sicvlvs.

Lib. 2. vitę S. Placidi. Martyris.

Hic inter Christi milites antesignanus. Hic inter persecutionum furentium initia cum ipso infestationis principe, & authore *Mamucha* cõgressus, dum inexpugnabili firmitate aduersarium vicit, vincendi cæteris viam fecit. Ideoq; nunc cum his qui agnum sequuntur, canticum nouum decantare non cessat. Apud hunc agnum *dignetur pro nobis interuenire*, vt maculis omnibus expiatos nos vellere velit induere. Omnes repręsentãs eidem quem sequitur agno, vt quos redemit sanguine suo, non sinat iuri subiacere alieno.

Favstvs Cassinas.

In vita S. Mauri Abbatis.

Vir Dei Maurus beato dixit Romano. Crastina die beatissimus pater noster benedictus terreno deposito corporis onere, cœlestem gaudens & hilaris scandit ad patriam. Quod audiẽs sanctus Romanus, ilico in lachrymas resolutus, flere incõsolabiliter cœpit. Quem beatus Maurus consolari cupiẽs aiebat: Gaudere potius quam flere ideo de eius migratione debemus, quia & *patronũ magnum præmittimus, & præsentiorem eum nunc, quã si carne viueret, sumus habituri.*

Ramper-

RAMPERTVS EPISCOPVS, Brixienſis.

Quarto idus Maij, coadunata Eccleſia officijs & ieiunijs cum orationibus præeũtibus maxima cum deuotione, in marmoreo recondentes antro, ſepeliuimus, vt vbi modo pontificum ſedes erat, ibi tanti patris & pontificis iaceret corpus. Quo ſedes honore, populus deuotione, & Clerus ſuffragio, *eiuſdem meritis interuenientibus*, Chriſto in omnibus fauente, potiretur. *Speramus enim ſanctorum meritis omnium nos foueri*, & maxime eorum, quorum amplectimur corpora. Quamuis enim homines quorum nobis vita vel paſsio cognita eſt, dum viuerent in hac ærumnoſa procelloſi fluctuatione pelagi, præ omnibus noſtrates imbuerũt ſanctis dogmatibus, mirificiſq; exemplis, eoſq; ſuis ſuffragantibus iugibus precibus tutati ſunt ſupernam implorando clementiam, *tamen eoſdem defunctos pro* nobis non minus ſperamus eorum, *intercedentibus meritis*, noſtros eſſe ſub diuinę pietatis protectione *patronos*.

Sermone in S. Philaſtrium Epiſcopũ.

IVSTINIANVS IMPERATOR.

Hoc etiam deprecãtes exoramus ſanctę & glorioſæ ſemper virginis & *Dei genitricis Mariæ precibus*, vt quicquid minus eſt Reipub. noſtræ, per nos indignos ſeruos ſuos reſtituat in ſuo nomine Deus, & dignos nos faciat ſeruitium eius adimplere.

Lib.1.Co. Titulo.30

S. PAVLINVS ARCHIDIACONVS Neapolita.

In vita. S. Mariæ Ægypti.

Senex Zozimas lachrymis pedes(ſanctę Mariæ Ægyptiacæ videlicet mortuæ) abluens,& multipliciter effuſa prece, ***exorans pro omnibus eam nūc amplius deprecari***, operuit terra corpuſculum adſtante leone: & in cœnobium reuerſus, cum cuncta quę viderat,narraſſet,admonuit vt cum timore & amore,magnaq; fide celebrarent beatiſsimę huius tranſitus diem.

LEGATVS IMPERATORIVS Conſtantino.

In vita b. Theoctiſtes.

Cum ſecundi autē ſpiraſſent venti, die ſequenti Dium appulimus. Hoc eſt inſigne lucrum noſtræ in Paro conuerſationis. Hæ ſunt merces quæ præter ſpem obtigerunt proficiſcenti in Cretam. Hæc eſt vita beatæ Theoctiſtes. Hæc eſt exercitatio aduerſus principatus & poteſtates,& principē tenebrarum huius ſæculi lucta & decertatio. Ego autem acceſsi implens obedientiam & exoluens debitum. Ex quo quidnam efficietur? multa quidem alia: ſed hæc tria maxime. Ipſi quidem ſuppeditatori & adminiſtratori Deo,laus, confeſsio, & gloria. Sanctę autem ex oratione beatitudo & anniuerſaria cum eius commendatione, memoria,& nobis qui ſcripſimus,munificus & magnus noſter Deus Ieſus Chriſtus,pro prompto & alacri animi ſtudio dabit remunerationem ***interceſsioni***

bus

bus ſanctiſſimæ eius matris Dei parentis, diuinorũ, Angelorum & omnium ſanctorum.

THEODORVS EPISCOPVS, Darneus.

Iſta non ſemel tantũ, ſed bis terq; conſpiciens, trina apparitione firmatus, enarraui ſancto Papæ Eulogio. Qui cum audiſſet lachrymatus eſt, extẽdenſq; in cælum manus ſuas, Deo gratias retulit dicens: Gratias tibi ago, dominator Chriſte Deus noſter, quia cum indignus ſim, veritatis tuæ præconem me facere dignatus es, & *per orationes ſeruorum tuorum Petri ac Leonis*, paruam ac modicam alacritatem noſtram, tanquã duo viduæ minuta, ſumma & ineffabili benignitate tua ſuſcipere dignatus es.

Hęc apud Ioannem Euiratum habentur capit. 148.

SYMEON METAPHRASTES.

Atq; Deo quidem digna, & munda illius anima ad cœleſtes tranſijt habitationes ſacrum vero & ſanctum eius corpus deponitur honorabiliter, & maximo templo Mocij Martyris, vtpote quod magnus ille Sampſon ex eo diceretur trahere cognationem, non corpore ſolũ ſed multo magis animo & moribus. Quam multis autem clarus fuerit miraculis, qui eſt in rebus omnibus maxime admirabilis, non in vita ſolum, ſed etiam multo magis poſt mortem, neq; lingua poteſt dicere, neque auris admittere. Quomodo enim, cuius nec in hodiernum quidem diem conſuterunt fluenta

In vita S. Sãpſonis, hoſpitum exceptoris

mira-

miraculorum? Imo vero nec consistent quidẽ do nec ille idem fuerit,& *eisdẽ vtetur visceribus, pro hominibus apud Deum intercedens.*

IDEM.

Cõment. certamina sanctorũ Apostolo. tractante.

Et sunt quidem, nostra huiusmodi,& quæ possunt nostrum in vos desiderium ostendere: ò Apostoli, & fraternum amorem in eos qui sunt cõgregati. Hæc enim est vestra lex,& communis domini & magistri, vt nos inuicem diligamus, & quæramus multorum vtilitatem. *Vos autem vicißim nobis reddite curam*, quam nostrum geratis, aduersus vitia victoriam, contra dęmones resistentiam, animi quietem, ac pacem erga omnes, atq; adeo etiam ipsos, qui nulla de causa sunt nobis inimici animi simul lenitatem, ac patientiam, beneficentiam,& mutuum amorem: *Vos certe rogamus nos quoq; respicite*,& ad animi tranquillitatem nostrã vitam deducite, peccatorem expertem, rectis factis & bonis operibus plenam, diuinis dignam oculis, vt in hac vita vobiscum festum celebrantes, in futuro bona quoq; promissa consequamur.

IDEM.

In pasiõe s. Quirici & Iulitæ.

Quamobrem, quæ nunquam marcessent, iustitiæ coronis, cum ijs, qui sunt vniuersorum sanctorum perfectisßime, à dextera Christi sunt redimiti. *Quorum intercesßionibus nostri quoq; memento ò Deus*, qui in sanctis tuis glorificaris, & magnificas eos qui te magnificant, & sanctificãt sanctißimum nomen patris,& filij,& spiritus sancti.

Idem.

IDEM.

In ſ. Collinici Martyris certamine.

Sed tu quidem ò Martyrum decus & ornamẽtum ſic è vita egreſſus, & præmiorũ ſtigmatibus decoratus, nunc purus ſedes cum Chriſto ſponſo puriſsimo, in hoc te oblectans & exhilarans, & corona gloriæ ab eo coronatus. *Memento autem noſtri quoq́ deinceps*, qui te colimus, & hoc ſacrum tuum feſtum celebramus, & da nobis, vt æquabiliter, & ſine vlla offenſione tranſigamus vitæ aſperitatem, vt cum non obruti enatauerimus ex hoc mari tentationum in portum quietis appellamus ipſum habentes gubernatorem *tuis interceſsionibus* Dominum noſtrum & ſeruatorem Chriſtũ.

IDEM.

In vita S. Theopha.

O ægrotancium medice, ò miſerarum perfugium, *libera me à periculis*, quæ quotidie imminent, vt pulcherrimis factis incumbam, & per te illorũ authorem Deum agnoſcam, peccatorum mihi veniam à Deo, & iuuentutis meæ *delictorum obliuionem impetra*.

AMOS EPISCOPVS

Hieroſolymitanus. c 50.

Oratione ſua ad Abbates monaſteriorũ Ercam.

Orate pro me, patres. Magnum enim onus, & intollerabile mihi iniunctum eſt, ſacerdotijq́; dignitas me terret immodice. Petri enim & Pauli, & ſimilium eſt regere, rationales animas, ego autem infœlix peccator ſum. Plus autem quam cætera timeo ordinationum ſarcinam. Nam inueni ſcrip

tum

tũ, quia beatiſsimus & ęqualis Angelis Papa Leo, qui Romanorũ Eccleſiæ præfuit, per quadraginta dies perſeuerauit ad ſepulchrum Apoſtoli Petri, vigilijs, & orationibus inſiſtens, *petenſq; ab Apoſtolo, vt pro ſe apud Deum intercederet, vt dimitterentur ſibi peccata ſua.* Impletiſq; diebus quadraginta, apparuit ei Apoſtolus Petrus dicens: *Oraui pro te*, & dimiſſa ſunt tibi omnia peccata tua, præter quam impoſitionis manuum. Hoc enim ſolũ abs te requiretur, ſiue bene, ſiue fortaſsis aliter id egeris.

EVSEBIVS LVGDVNENSIS.

Homil. in S. Stepha.

Satis notũ eſt beatos Martyres & amicos Dei, poſt emeritam militiæ præſentis adminiſtrationẽ in illud ſæculum cum fauore cœleſti, cum pompa & triumphali occurſu, cum Angelica exultatione ſuſceptos, vbi nunc remuneratoris benedictione ſatiantur, & ineffabilibus gaudijs perfruuntur. Inter hęc itaq; requiramus, quid neceſsitatis, quid ue rationis ſit, cum ſancti Martyres in illo paradiſi lumine conſtituti humanis laudibus non indigent, cur tantis hominum ſtudijs celebrentur, cur tantopere mundo huic eorum reliquiæ Deo reuelante prodantur? Sine dubio propter multiplices cauſas. *Primum ad hoc à ſollicitis fidelibus excolũtur, vt ſedulis cultoribus ſuffragentur.*

CONCILIVM 3. CONSTANTINOPOLITANVM vniuerſale. 5.

Conſti-

Constitutũ est à sanctis patribus vt nullus chrysmetur, neq; baptizetur, neq; à lauacro fontis alium suscipiat, neq; coram Episcopo ad confirmãdum quemlibet teneat, nisi symbolum & orationem dominicam memoriter teneat, exceptis his, quos ad loquendum ætas minime perduxit. Dicẽdum est illis, vt singulis diebus, qui amplius non potest, saltem duabus vicibus oret, mane scilicet & vesperi, dicens symbolum siue orationem dominicam: Qui plasmasti me, miserere mei, vel etiã Deus propitius esto mihi peccatori, & Deo gratias agat pro quotidianæ vitæ cõmeatibus, & quia se ad imaginem suam creare dignatus sit, & à peccatoribus segregare. His actis & solo Deo creatore suo adorato, *inuocet sanctos, vt pro se intercedere apud maiestatem diuinam dignentur*. Hæc faciant quibus Basilicæ locus est in Basilica: qui vero in itinere, aut pro qualibet occasione in siluis aut agris est, vbicunq; eum in ipsa hora matutina vel vespertina inuenerit, sic faciat, sciens Deum vbiq; præsentem esse. Canone y

Constantinvs Imperator.

Multis errantibus circa orthodoxam fidem, extincta dissonantia in vnam eandemq; confessionem consonantes omnes conuenimus, sperantes veram atq; celerem salutem à sanctorum multorum, munerum datore Deo, *intercessionibus Dei genitricis*, & vestræ sanctitatis suscipere. Paranesi ad Concilium 2. Nicænum.

Beda

Beda Presbyter.

In caput. 7. Lucæ. Propter quod & meipsum non sum dignū arbitratus, vt venirem ad te.

Et nos qui de gentibus credimus, non ipsi ad Dominum venire possumus, quem nunc in carne videre nequaquam valemus, sed quicunque passiones nostræ seruitutis agnouimus, ad residentē in dextera patris iam per fidem accēdere debemus, iam seniores Iudæorum mittere, hoc est summos Ecclesiæ viros, qui nos ad dominum præcesserūt, *supplicit er obsecrando patronos adquirere*, qui nobis testimonium reddentes quod diligamus Ecclesiam, & quantum in nobis est ædificare curemus, *pro nostris apud Dominum peccatis intercedant*.

IDEM.

Lib. 3. Histor. ca. 12. *Nec mirandum preces regis illius iam cum domino regnantis, multum valere* apud eum, qui temporalis regni quondam gubernacula tenens, magis pro æterno regno semper laborare, ac deprecari solebat.

S. Iosaphat.

Oratione quā habuit in funere S. Barlaam. Ecce enim in multitudine miserationū tuarū spē posui animæ meæ, guberna vitā meā, qui omnē creaturā ineffabili sapientiæ prouidētia regis. Et notā fac mihi viā tuā in qua ambulē: & saluū me fac, quoniā bonus es amator hominū, *orationibus & intercessione famuli tui Barlaam*. Quia tu es Deus meus, & te glorifico, patrem & filium, & spiritum sanctum.

S. Ioan-

S. IOANNES DAMASCENVS.

Honorare decet ſanctos vt amicos Chriſti, vt filios & heredes Dei, quemadmodum ait Deiloquus Ioannes Euangeliſta, quicunq; autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Quare non amplius ſunt ſerui, ſed filij. Si autem filij, & heredes, heredes quidē Dei: coheredes autem Chriſti: Et Dominus in ſacris Euangelijs, Apoſtolis dicit: Vos amici mei eſtis, non etiam vos vocaui ſeruos, nam ſeruus neſcit quid faciat Dominus eius. Quomodo nō igitur honorandi ſunt qui amici & filij Dei exiſtunt? Nā *honor erga gratos & benignos conſeruos, beneuolentiæ erga communem Dominum indicium eſt.* Hi promptuariū Dei, & pura habitacula facti ſunt. Inhabitabo enim eos, dicit Dominus & inambulabo, & ero eorum Deus. Quod autem per mentem corpora eorum inhabitauerit Deus, dicit Apoſtolus. Neſcitis quia corpora veſtra ſpiritus ſancti habitantis in vobis, templum eſt? Quomodo igitur non honoranda ſunt animata templa Dei, & animata tabernacula? Hi viuentes in fiducia Deo aſsiſtunt. Fontes nobis ſalutares dominator Chriſtus præbuit ſanctorum reliquias, multimodis beneficijs ſcaturientes. *Adiutores ergo totius, generis humani, Deo pro nobis ſupplicationes porrigentes*, non honorandi ſunt? Deiparā, vt propriē & verē Dei matrem honoremus, Præcurſorem Ioannem, vt

Lib. 4. de fide Orthod. cap. 16.

Prophetam & Baptistam, & missum & Martyrem Apostolos, vt fratres Domini, & cętera.

THEOPHILACTVS EPISCOPVS.

In Cap. 11. Epistolę Hebræorum.

Deo de nobis melius aliquid prouidente, vt nō sine nobis consummarentur. Melius aliquid, hoc est, ad honorem nostrum. Ne videantur enim nobis esse potiores, si primi coronarētur, vnum omnibus coronarum tempus statuit. Nec dixit, vt nō coronarentur, cęterum vt non consummarentur, Proinde tunc perfecti videbuntur. Præterea iam nunc arrhabonem & pignus honoris habent. Vnde enim *eis potestas esset vt succurrere queant inuocantibus se? Vnde ipsis quod fiduciam habent intercedendi?* Perfectionem autē & consummationem tum accipient. Nonne igitur iniustus esset illis Deus, si cū nos anteuerterint laboribus, in coronis autē nos expectent? Minime, nam & illis hoc amplectendum venit, vt cum fratribus coronentur. Corpus vnum omnes sumus. Maiorem igitur voluptatem corpori præbet, si communiter secundum omnia membra sua coronetur.

S. THARASIVS EPISCOPVS, Constantinop.

Episto. ad Antiochię & Alexādrię Episcopos.

Pręter hęc mortuorum resurrectionem expecto, & secundum vniuscuiusq; actionem, æternam retributionem, bonorum simul & malorū. *Obsecrans intercessionem sanctissimæ intemeratæ Dominæ nostræ Deiparæ & semp virginis Mariæ,* sanctorumq;

torumq; Angelorum, & ſanctorũ Apoſtolorum, Prophetarum, Martyrum & Doctorum. Amplector etiã horum venerandas imagines, & omnem hereticam vaniloquentiam execror, eorumque anteſignanos & primates.

S. Ignatius Episcopus Nicenus.

Oratione in S. Tharaſium.

De cœtero autem æquum eſt vt ad te conuertamus orationem. O Dei ſerue, quicunq; es, qui me nolentem incitaſti ad hoc certamẽ, & coegiſti aggredi ea quæ vires ſuperant. Tibi mea accepta ſit obedientia, & meę orationis aſpiciens humilitatẽ & inordinatam dictionem, ne me accuſes negligentię. Non enim diuino patri aliquid dignum attulimus, aut potuimus prope accedere ad dignitatem harum quæ prope ſunt virtutũ. Res enim eius omnẽ dicendi facultatẽ ſuperãt, adeo vt omnes laudatores ex æquo non aſſequantur oratione, eum qui ipſi debetur honorem. Ego autẽ qui omnium longiſsime abſum ad eam laudãdo pro meritis, propono promptam & alacrem voluntatem vt accipiatur, vt qui ob laborem dicendi, inopia, ſenioq; & morbo frangar. Tu vero mercedẽ ac remunerationem à Deo acceperis, *intercesſorẽ, defenſorem, & propugnatorem, & tuæ ſpei adimpletorem, quem ex Deo dilexiſti, habẽs Tharaſium, qui & ſuis interceſsionibus affatim* & ſecure prębeat, quæ ſunt vſui ad hanc caducam vitam: & pręſtet vt tuæ vitæ ita illic reddas rationem, vt reus non

peragaris. Quod tecũ detur omnibus cõſequi qui pure & ſyncere in Deum ſperauerunt eius gratia & copioſis miſerationibus, *intercedẽte intemerata & caſta Dei genitrice*, & cœleſtibus õnibus ſanctis.

Epiphanivs Diaconvs.

Refutatio ne contra Gregorium Epiſcopũ Neo Ceſareæ.

In hoc vtuntur encomijs, quo ſimpliciores ad ſuam vaniloquentiam, rapiant. Sed qui mentem habent, ſerpentis vafriciem vero nõ habent: Item qui ſimplicitatem columbæ poſsident, nouerunt & verbis & encomijs ter inculpatam & inuiolatã vere & proprie Deiparam eſſe: Norunt etiã ſanctos venerari, eorumdemque virtutes per hiſtorica exempla in memoria habere: Et rurſum per ſpecificam effigiationem certamina & virilia eorũ facta animo perſpicere, & honoribus magnificare: cognoſcereq; illos ſecundum diuinum Apoſtolum, cum Chriſto vnitos eſſe, *& pro nobis intercedere*, ſynceramq; & inuiolatam fidem & cultũ in ſpiritu & veritate, ſoli Deo offerre, minime vero creaturis illius quæ ſunt ſub cœlo: Quid autẽ opus erat materiam vituperare quo veritatem ſubuerterent?

Adrianvs Pontifex.

Epiſto. ad Conſtantinum & Irenẽ Auguſtos.

Omnes principes etiam ſi peſsimi ſint peccatores, adoramus & reuerenter ſalutamus, quid vetat igitur, quo minus non liceat & ſanctos Dei miniſtros venerari? Ex his liquido conſtat ob recordationem, ſanctorum imagines tantum pingi, venerari,

nerari,& coli,quos clare cõſtat ſeruos eſſe Dei: *& pro nobis apud deitatẽ obſecrantes & intercedentes.*

2. Nicena Synodvs.

Cum timore Dei omnia agamus, *poſtulantes interceſsiones* incontaminatæ Deiparæ & ſemper virginis Mariæ, item ſanctorum Angelorum,omniumq; ſanctorum. Actione 3. & 6.

Ioannes Diaconvs.

S. Ianuarij.

His ita pręmiſsis,rogamus te,cunctam poſtulare congregationẽ,vt fuſis precibus, pariter obtineatis à Domino,vt mihi imperito, ſcribendi tribuat facultatem, qui cum voluerit,non tantum linguas infantium facit diſertas, ſed & brutorũ animalium ora reſoluit in verba loquentium. Deinde tu frater mi, ſpecialiter *huius ſancti patrociniũ pro nobis petere non deſiſtas*, vt ea quæ de illo ſcribere præſumimus,nõ humano,ſed diuino ſint approbata iudició: et ſicut multos de eius protectione gauiſos legim⁹,ita nos meritis illius ex antiquo hoſte ereptos,& ab inimicis tutos fore letemur. Præfatione in vitã S. Nicolai Epiſcopi.

Ioannes Levita Romanvs.

Quanquã in eo quod tuo iudicio placeo,cunctis veritatem tuentibus me perpetuo placiturum fore præſumam. Peto igitur,vt ſicut tuis iuſsionibus humiliter parui, *ſic beati Gregorij precibus*, & in hoc ſęculo, ab æmulorum inſidijs: et in futuro Præfatione in libr. vitæ beati Gregorij.

à peccatorum nexibus mereamur misericorditer liberari. Per Dominum nostrum Iesum &c.

WANDELBERTVS DIACONVS.

In vita S. Goaris Presbiter.

Hæc habui de vita sancti viri Goaris, quæ scripturæ mandarem, accepta ex vetustis & perätiquis exemplaribus. Quorum in rerum gestarum narratione veritatem fide integra subsequens, solam sermonis quæ eruditos non parum offendere poterat simplicitaté, pro vestra voluntate (vir clarissime paterq; venerande) corrigere studui, optans & me ipsum & omnes qui hæc lecturi sunt, *tanti viri intercessione & meritis apud diuinam semper adiuuari clementiam*, vt qui ex infirmitate carnis humanę & conditione mortalis vitæ multa quotidie contra leges diuinas agimus: eius qui quoad vixit integre legi Christi seruiuit *interuētu, & peccatorum pondere subleuari & ad bene viuēdum mereamur opitulari*, pręstante Domino nostro Iesu Christo.

S. GERMANVS EPISCOPVS Constantinopolit.

Homilia in Deductionē Deiparę virginis Marię.

Sed de his quidem dicere est alterius operis & temporis conuenientis. Nobis autem rursus ad propositum redeat oratio, & laudibus celebretur hodie dies deductionis. Abi ergo ò Domina Dei Mater, abi ad tuam hæreditatem, & vade in atria Domini exultans & letans: alacrisq; expectās indies sanctissimi spiritus aduentum, & potentiæ altissi-

altiſsimi adumbrationem, & vnigeniti filij tui cō ceptionem, vt Gabriel tibi prædicet, & *da iis qui tuum feſtum peragunt tuum auxilium, protectionē, & defenſionem, eos omni ex parte liberans tuis interceſsionibus* ab omni neceſſitate & periculis, morbiſq; grauibus & omne genus calamitatibus. Eos autem colloca vt mater Domini in loco deliciarū vbi eſt lux & pax & rerum expetendarum ſummū bonum.

IDEM.

Epiſtolam ſanctitatis tuæ Tharaſius glorioſus patritius nobis tradidit, in qua de Theophilo Epiſcopo Nacoliæ ſcriptum fuit. Significamus autē hac priuſquam à ſanctitate tua accepiſſemus literas, nos ipſum Theophilum conueniſſe, perſcrutatoſq; quænā illius mens, quæue ſententia in cauſa illa, de qua audieramus, eſſet. Hanc autem nobis apologiam obiecit. Oportet autem vt tuæ ſanctitati omnia pro mediocritate ingenij mei ſcribam. Dicebat ſe inſtructum ſacra ſcriptura dicēte, nullam facies ſimilitudinem ad adorandam illam, neq; in cœlo deſuper, neq; ſuper terram. Deinde dixit, non oportet manu facta adorare, hoc eſt, quæ manu hominum elaborata ſunt. *Quum vero ſanctos Chriſti Martyres, veras fidei Margaritas, omni honore dignos arbitremur, & interceſsiones eorum poſtulemus*, non potui illi non reſpondere. Chriſtianorum itaq; fidem, cultum & adorationem in vnum & ſolum Deum exiſtere dixi, quemadmodum ſcriptum eſt, cum ab iis quæ in

Epiſtola ad Ioannē Epiſcopū Synnadū.

cœlo ſunt ſanctis & intelligibilibus incorporeis poteſtatibus, tū ab ijs qui in terra ſunt, quotquot veritatis viam nouerunt. Quemadmodū in omnibus Eccleſijs ſancta laudatur & glorificatur Trinitas, in vnica dominatione & deitate, quemadmodum & nos vnum Deum confitemur: neque aliquis eſt præter eum, qui ex poteſtate ſua dominatur per ſæcula, qui ex non exiſtentibus cuncta produxit, tam quæ viſibilia ſunt, quam quæ inuiſibilia. Hoc eſt in patrem, filium, & ſpiritum ſanctum, ſanctam conſubſtantialem, viuificantē Trinitatem, in quam credentes & confitentes baptizati ſumus, quemadmodum tradidit Deus verbū exiſtens incarnatum, vnus ex ſancta & incomprehenſibili Trinitate Dominus noſter Ieſus Chriſtus, in nomine patris & filij & ſancti ſpiritus.
Hic ſane creaturas non adoramus, abſit: neq; cultum diuinæ dominationi debitum, in conſeruos deducimus, abſit: neq; Principes aut reges ſuper terram adorantes, æqualem illis cum Deo adorationem præſtare videmur. Nam & Propheta Nathan apparet, in terra cum eſſet, Dauid adoraſſe, quanquam hominem & regem, neq; tamē ob id reprehenſus eſt, quod hominem iuxta Deum adorauit. Neq; imaginum ex cæra & colore effigiationem, in errorem perfectionis diuini cultus ſuſcipimus. Non enim inuiſibilis deitatis imaginem, aut ſimilitudinem, aut figuram aut formam expreſſam, neq; intelligere neq; inueſtigare omni

no poſſumus. Sed quando vnigenitus filius, qui in ſinu patris exiſtens, ſuam creaturam ex mortis adductione reuocãdo, patris & ſancti ſpiritus beneplacito homo fieri dignatus eſt nõ aliter ac nos carnem & ſanguinem aſſumens: & vt inquit magnus Apoſtolus, per omnia nobis ſimilis factus, excepto peccato. Igitur humanitatis illius characteris, & iuxta carnem indiſcretæ hominis formæ imaginem figurantes, ipſius incomprehẽſibilem deitatem atq; inuiſibilem (vnde ea quæ noſtræ fidei præcipua ſunt, naſcũtur) oſtendere nequimus. Non enim vmbratice noſtram naturam ſibi vniuit: verum reipſa, vereq; homo perfectus per omnia, excepto quod ab hoſte nobis inſitum eſt peccato, factus eſt. Hanc ob cauſam, in fide certi, ſanctæ illius carnis characterem in imaginibus delineantes ſalutamus, & cultu & honore omni, quo decet, dignamur, nec ob aliud, niſi in recordationem diuinitatis illius viuificæ & inexpreſſę. Eadẽ ratione & intemeratæ eius iuxta carnem matris, ſanctæ Deiparæ virginis, ſimilitudinẽ referimus. Hoc modo oſtendentes, quod mulier iuxta naturam exiſtens, & à noſtra maſſa haud quaquam aliena, Deum inuiſibilem, & omnia manu ſua continentem, vltra omnem & hominum & Angelorum exiſtimationem in ventre ſuo conceperit, & ex ſe incarnatum genuerit. Etenim ob id eam, vt vere & proprie, veri Dei matrem veneramur & magnifacimus & quauis viſibili & inuiſibili crea

turæ superiorem reputamus. A hæc sanctos Martyres Christi, Apostolos, Prophetas, tanquam conseruos nostros & veros Dei ministros, bonis operibus & diuina prædicatione veritatis, item perpessione pro ipso Deo afflictionũ gloriosos, amicos Dei veros, quibus ipse etiam magnam loquendi confidentiam dedit, admiramur & beatos prædicamus, nec non ad recordationem fortitudinis eorum, & rectam pro Christo seruitutem, similitudines eorũ depingimus: non quod de diuina natura participent per hoc demonstrare volentes, neque debitum tantũmodo diuinæ potestati & gloriæ, honorem illis tribuentes, verum desideriũ nostrum & amorem, quo erga eos affecti sumus, ita declaramus. Nam quæ per auditionem tanquam vera credidimus, hæc etiam per pingibilem imitationem, ad stabiliorem nostram instructioné collocamus, quando & ipsi sancti Dei, in vnum & solum Deum, cultum adorationis, & glorificationé & procreationem conseruantes, pro Christo sanguinem suum effuderunt, & veræ confessionis coronam acceperunt. Hæc apparatus imaginũ ratio est, nõ quod nos adorationem in spiritu & veritate, incomprehensibili & inuestigabili deitati decentem, in manu factas imagines, aut in opera hominũ arte facta, aut sane ea quæ subsunt Deo, siue visibilia sint, siue inuisibilia, transferre studeamus: verum vt dilectionem nostram, quam iuste in sanctos Dei habemus, per istum modum declaremus

remus,& per honorationem illorum, in eum qui per illos glorificatus eſt, quique illos glorificauit in confeſsionem potentiæ ſuæ, Chriſtum, glorificationem & cultum referimus, ita vt & nos imitatores fortitudinis eorum & dilectionis erga Deũ, per bonorum operum contra paſsiones reſiſtentiam, fiamus. Hunc autem eſſe imaginum in Eccleſia Dei vſum, vnuſquiſq; per hanc inſtructionem cognoſcat, neq; aliunde nos ſalutis ſpem, ſiue in hoc mundo, ſiue in futuro ſæculo expectare, niſi ab vnigenito filio Dei, qui ſimul cum patre & ſpiritu, diuina dona largitur. Non enim eſt aliud nomen, per quod ſeruari hominibus datum eſt. At ſi Domini & ſeruatoris noſtri, item intemeratę eius matris veræ Deiparæ, nec non ſanctorum imagines honoramus, confeſtim etiam fidem & diſpoſitionem mentis erga illos habemus, ſed vnũ Deũ qui omnia in manu ſua habet, factorem noſtrum & omnis creaturæ & vere Seruatorem, habentem poteſtatem in cœlo & in terra, pro genere humano hominem factum agnoſcimus. Ancillam autem & matrem illius exiſtentem, *vere & pro genere noſtro intercedentem præſentiſsime*, ita vt Dominus quidem noſtram ſalutem diſpenſet, illa vero materno affectu *pro nobis poſcat agnoſcimus.* Sanctos deniq; omnes, tanquam conſeruos noſtros, & eiuſdem nobiſcum naturæ participes, gratiſsimos Dei miniſtros, vt dictũ eſt. & *hac gratia à Deo donatos, vt beneficia à Deo data nobis adminiſtrẽt:*

cura-

curationes inquam morborum, & periculorũ liberationes, quando *per memoriam eorum inuocatio Dei fit*, quatenus nobis in hymnodijs & glorificationibus possibile est (memoria autem eorum cum encomio celebratur, vt ait scriptura.) Hæc igitur omnia Theophilo proposuimus, quæ sane & suscepit, & vt diuina confessus est se seruaturũ, nec quicquam amplius dicturum aut facturum, quod alijs posset esse offendiculo, aut tumultum excitare.

EVSTACHIVS PRESBYTER.

Oratione in S. Euthychium Patriarc.

Appositus est Patriarchis Patriarcha, Martyribus Martyr, Apostolis, qui per eorum vestigia sem per incesserat, vbi sanctorum etiã Apostolorum, Andreæ, Lucæ, & Timothei corpora conquiescũt ante ipsum altare ad basim eius, vt ne post obitũ quidem ab altari sancto, corpus eius recederet cũ anima eius altari in cœlis assisteret, atque ibi cum sanctis Angelis & Apostolis *pro vniuerso populo preces effunderet.* Equum erat vt corpus quod cũ illa anima coniunctum fuerat, quod cum illa anima simul incesserat & certamina pertulerat in terra, nunquam ab almo altari seiungeretur, sed cũ populi sacerdote supplicante & munera Deo offerente, *pro populo suo & ciuitate quodãmodo supplicaret.* Nam corpora sanctorum parem cum animis ipsorum vim habent, pretiosa enim in con spectu domini mors sanctorum eius. Et, Protegã ciuita-

ciuitatem hanc, inquit Dominus, propter me, & propter Dauid seruum meum. Magnæ nobis cōsolationi sunt sancti, qui per fidē expugnauerunt regna, adepti sunt repromissiones, & *plus valent post vitæ commutationem.* Tu vero beatissime ac sanctissime pater Eutychi, *è cœlo nos aspice,* & vitæ nostræ cursum ad salutem dirige, vt cum hinc decesserimus, recipias nos in sinum Abrahæ, & in æterna iustorum tabernacula, vbi purius atq; perfectius, quæ abs te de sancta, & eiusdem essentiæ, & sempiterna Trinitate didicimus, videamus. Eá pater pro nobis, & pro grege tuo, & fidelissimo hoc Christiq; amantissimo populo *deprecare*, vt æterna bona consequamur.

S. THEODORVS CONFESSOR, Palestinus.

His lectis iussit nos abduci in Prætoriū, & post quā egressi essemus, & ad eam quæ dicitur Thermastram iam venissemus, accedens quidam iussit nos reuerti, & cum maxima celeritate sistit nos ante Imperatorem. Qui cum nos vidisset, sic inquit, verisimile est vos cum recesseritis esse dicturos, Imperatorem illusimus. Sed ego cum vos prius illusero, dimittam. Cumq; sic dixisset, iussit nos exui. Cum autem ambo exuti essemus, verberabar ego sic assidue clamante Imperatore & eos qui flagellabant adiuuante. Sic te in me geris? da pulchre. Verberabatur itaq; & tergum & pectus absq; vlla clemen-

Episto. ad Ioannem Episcopū Cyricenū

clementia & misericordia. Ego vero cum diu flagris cæderer, vociferabar. Nihil peccauimus in tuum imperiũ. Et rursus, Domine miserere. & *Sancta Deipara veni ad nostrum auxilium*. Deinde etiam verberarunt fratrem similiter clamantẽ, & dicentem, *Sancta Deipara, ipsa quoq; fugisti in Ægyptum portans tuũ filium. Respice ad me* qui propter similem tibi fugam punior. Domine domine qui liberas pauperem à manu eius qui eo sunt fortiores, ne diu differas tuum dare nobis auxiliũ. Et cum sic ambos concidisset quantum volebat iussit nos exire. Alius autẽ rursus egressus ad nos accurrit, iubens reuerti.

THEOSTERICTVS NICETÆ Discipulus.

Oratione funebri in S. Nicetã.

Post hæc successit Leonis imperio, simul atque impietati Constantinus filius, malæ radicis malũ germen, pestilentis feræ progenies, draco, animarumq; corruptor, atq; ex crudelissimo Leone pardus natus varium habens ingenium, qui patrem ipsum multis partibus malitia superauit. Non enim solum imaginum iniuria contentus fuit, verum etiam sanctos Martyres, quantũ in ipso fuit, honore priuauit, cũ præceperit non esse illos sanctos appellandos, sed simpliciter nominari Apostolos, Quadraginta Martyres, Theodorũm, Georgium, & alios similiter. Illorum autem reliquias omnino contempsit ac pro nihilo duxit. Atq;

vt summatim dicam, habitu erat Christianus, mẽ te ipsa Iudæus. Quam enim Christus sibi in domicilium delegit, gloriosissimam, inquam suam matrem, omnibus alijs rebus creatis superiorem, *mũdi patrocinium*, quæ propter virginitatis suæ præstantiam prope Deum versatur, huius, inquã, venerandum nomen multis modis ab Ecclesiã expellere studuit, *eius vero intercessiones, per quas mũdus ipse consistit*, illas ne nominare quidem voluit cum diceret, *nemini eam posse opitulari*. Conabatur autem, quod dicebat, hoc exemplo confirmare. Cum enim aliquando marsupium aureis nummis plenum in manum sumpsisset, & ijs, qui cum ipso versabantur, illud ostendisset, ab eis quę rens: Quanti nam, inquit, marsupium hoc valet? Multi, inquiunt illi. Cum vero aurum eiecisset, rursus quæsiuit, quanti nam marsupium esset. Cumq; illi respondissent, nihil valere. Ita, inquit, miser ille, & Deiparens Maria (neq; enim sanctã eam nominare dignabatur indignus ille) quo tẽpore Christum in se habebat, valde honorata illa erat, ex quo autem tempore illũ peperit, nihil differre à reliquis. O blasphemiam, o superbiam, ò immensam Dei tollerantiam, o summam patientiã. Quomodo ipsius lingua non obmutuit, quæ aduersus Christi matrem tam superbe iniquitatẽ locuta fuit? Quid nam à blasphemis Iudęis nouus hic Pharysæus, & Deo inuisus differebat? Quicunque autem primo ipsius consilio parere noluerũt,

partim

partim exilio condemnati ſunt, partim in carceribus mortui, alij gladio interfecti, alij vectibus cõtuſi, qui ſic diſcerpebantur, vt eorũ viſcera in plateis diſsiparentur. Teſtatur id Stephanus nouus Chriſti Martyr, qui prioris illius Stephani, & nomine, & moribus fuit ſocius. Ad hæc aliqui etiam in altum mare proiecti. Alij vt Tyrannis tormẽta inferentibus peccandi occaſionẽ auferrent, fugiebant, & in montibus ac ſpeluncis verſantes, in fame & ſiti, frigore, & nuditate afflicti, anguſtias multas tolerabant. Alij tormentorum metui ſuccumbebant. Alij aſſentationibus capiebantur. Quidam humanam magis, quam diuinam gloriam appetentes, ſe ſubijciebant. Alij corporeis voluptatibus addicti, ſuas vxores circunducere non erubeſcebant. Tantopere vero ſordium, & impuriſsimæ cuiuſq; rei odore malo delectabatur, vt & animalium brutorũ ſtercoribus ſe illiniret, & eos, qui cum illo erant, idem facere iuberet, quos amabat, ob idq; benigne accipiebat, quod rebus male olentibus ſemper delectarentur. Sed tempus non eſt nefaria illius facta omnia deplorare, cũ & multa ſint, & admodum profana. De eodem & illud fertur, quod cum infans eſſet, & baptiſmate lauaretur, piſcinam ipſam fœdauerit, ita vt ſanctus Epiſcopus Germanus dixerit, turpem & graueolentem odorem ab illo puero Eccleſiæ immiſcendũ. Id quod re ipſa factum eſt.

EVDOCIA CAPPADOX.

Fili,

Fili,fili,lux æterna meorum oculorum, fili arcanum quoddam,& ineffabile bonũ parentibus: vnde nã tibi hæc clara, & magna lux curationũ? vnde nam copioſa fluxit gratia ſpiritus? An ſunt hæc omnino piæ vitæ remuneratio, & occultorũ laborum? An potius non ſolum remuneratio, ſed arra,& procemium bonorum,quæ te poſt hæc manent? Sum ego reuera beata inter matres,quæ digna ſum habita, quæ eſſem, & vocarer mater talis filij. Non tibi amplius contexo lamẽtationes maternas tanquam filio,ſed tanquã Dei amico hymnos cano ſpirituales. Non amplius te voco filium & fructum ventris mei, ſed filium Dei per gratiã. Quem cum ipſa genuerim carnaliter,ab ipſo rurſus viciſſim generor ſpiritualiter. *Curam gere parẽtum*,quibus grauius tui deſiderium quã ſenectus. Atqui ò chariſſime, pulchre carnali tuæ matri referes gratiã pro datis alimentis, ſi *ſpiritali tuo patri tuis interceſsionibus eam reddas familiarem*. Pulchre quoq; patri tuo referes gratiam,quod te hoc vt eſſes produxerit,ſi ad eius ſenectutis, & imbecillitatis,*requiem ſinus Abrahæ petieris*. Hæc nunc à te contendũt & patris canicies,& matris in partu dolores,& vbera,quæ tu, qui es iã omni ex parte perfectus,ſuxiſti,cum eſſes adhuc infans. *Curã gere parentum,curam gere cognatorum*. Lætabitur, ſat ſcio,Deus,quem tu honorandum cenſes in parentibus, quos iubet illius præceptum honorare, vtpote quod per ipſos honor ad illum feratur.

JOANNES HIEROSOLIMITA. 256

In vita S. Joannis Damasc. Qua propter oportebat hunc Athletã, hũc Ascetã, hunc Ecclesiæ adornatorẽ, veritatis assertorem exercitationeq; ac dogmatũ scientia conspicuum dantẽ intelligentiã nõ intelligentibus, præscribentẽ decreta rudibus, hunc inquã, opportebat pro virili nostra, laudatorijs efferre sermonibus, nõ quasi ei aliquid gloriæ dicendo addamus, sed vt ipse nostri vicissim memor sit in cęlis, vtq; nos adhuc in terra peregrini, cęlesti gloria precibus suis adimpleamur, illa inquã gloria, quã Dauidis testimonium filiæ regis tribuit, & intra regiã animã habitare perhibet, dicẽs: Omnis gloria filię regis intrinsecus. Et ò beatissime, ignosce mihi, *proque me apud Deum feruens & irrepudiabilis intercessor esto*, eo quod bonũ hoc conuiuiũ ab alio instructũ licet tumultuario, & vt potuit homo ille, ego ingẽti desiderio, & summa diligentia in hunc sermonẽ trãstuli, dolens hunc in Arabũ sermone iacere neglectũ. Incitatus autẽ sum, quod & ego tuo nomine gaudeo. Diligentiã autẽ tua benigna visitatio adiuuit plurimũ. Fac, obsecro, & me (tametsi corpore adhuc peregrinũ) Trinitatis adoratorẽ, nõ crassum & carnalẽ, sed spiritualẽ. Fac totũ hinc corpore abscedentẽ, totũ contemplationis amore peregrinum, totũ holocausto amoris diuini consecratum, & cum è carne migrauero, nullis adhęrentibus affectionibus, fiducia bona tecum corã Deo statuar.

Alexan

ALEXANDER CYPRIVS.

Illud igitur vnum à vobis peto, vt mecum vna sanctissimum Barnabam orationis adiutorem mihi esse precemini, & cete. Cæterũ tot & tantæ sunt beatissime Apostole Iesu Christi Barnaba, laudes tuæ vt omnium orationem superent. Nihilominus tamẽ nostri sermonis paupertatem exiguam illam quidem, sed promptam certe, acceptam habens, pro nobis apud Deum. quẽ dilexisti Christũ vnigenitum Dei filium & verbum, *intercedere nõ graueris*, vt ille à præsenti & laborioso hoc sæculo nos eripiat nobisq; concedat, vt remissionẽ peccatorum, clementiam & misericordiã multã assequamur in illo die terribili cum venerit iudicare viuos & mortuos.

Laudatione in S. Barnab. Apostolũ.

THEOPHANIS PRESBYTER.

Nos autem ò patrum sanctissime, ò sacrorum præconum decus, qui digni facti sumus, vt te terrestrem haberemus ciuem, & *cœlestem apud Deum intercessorem*, ad arcam tuã cum desiderio accedimus, eamq; cum omni veneratione complectentes has tibi voces effundimus. O sublimium & arcanorum mysteriorũ inspector & cõtemplator, ò diuini aspectus atque splendoris gloria abunde propter mentis puritatem illustrate, o Patriarcharum atq; pontificũ societatis particeps, qui & nomine & re simul cũ illis victoriç præconia & premia, ærũnis & periculis superatis, percepisti, Susci

Oratione in exilium S. Nicephori Patriarchæ.

pe benigne ſynceri cordis erga te fidem & affectionem, *viciſſimq; tuas pro nobis ad Deum puras caſtaſq; preces exhibe*, vt Eccleſia ſancta in tranquillitate verſetur, & fides integra cuſtodiatur. In perpetuum *nobis Deum propitium redde*, & nos qui iocũdiſsima tua monumenta, qui pulcherrima ad ſalutem inſtituta, varijs in libris à te relicta perlegimus, in recta dogmatũ doctrina firmos immobileſq; conſerua, & in omni temporum varietate conſtantes, vt omnem reliquam vitam exemplo tuo ſanctè tranſigamus.

CONSTANTINVS TYVS.

Narratione de inuẽtione reliquiarum Sãctæ Euphemiæ.

Gaude omni ex parte benedicta Euphemia. *Memento autem ò Dei Martyr mei quoq;* humilis & infælicis, & ſuſcipe hoc vile, & nullius notæ ſcriptũ funebre, meæ temeritatis, petens pro omnibus qui cum deſiderio tuã venerabilem & miraculorum effectricem ſemper peragunt memoriam regibus & paſtoribus, ſacerdotibus & principibus & ſubiectis, vt aſſequantur & ſedeant à dextris Dei & bonis fruantur æternis, gratia & clemẽtia Domini noſtri Ieſu Chriſti.

GEORGIVS EPISCOPVS Nicomediæ.

Homilia in Deductionem Deiparæ Mariæ.

Nam quæcunq; fuerit multitudo eorum quæ ignorantur, ea facilem accipit ſolutionem, ſi tu ſolum volueris. Nihil tuæ reſiſtit potentiæ, nihil repugnat tuis viribus, *omnia cædunt tuo iuſſu*, omnia

nia tuo obediunt imperio. Te omnibus ſuis operibus reddidit excelſiorem qui eſt ex te natus, & per ea quæ in te facit admirabiliter & præter opinionem, ita eſſe confirmauit. Ea potes conſequi citra laborem. *De ijs abſq; vllo interceſſore compella creatorem.* Delectatur petitione, *gaudet ſe rogari,* non reſiſtit quo minus impleantur. Tuã enim gloriam exiſtimat eſſe propriam, & tanquam filius ea exultans, quaſi exoluens debitum, implet petitiones.

ARETHAS EPISCOPVS Cæſarienſis.

Te ſepulchrum non operuit, ſed omnibus quę ſub cælo ſunt terris, aperuit. Te nõ terra contexit ſed omnibus quæ vbique ſunt, partibus eius oſtendit dignum pontificem eo, qui te creauerat Deo, idoneum præconem rebus illius magnifice geſtis, ſimilem etiam eorum, quos ipſe tulerat laborum exitum conſecutum. Veruntamen qui laborum iam tuorum præmia percæpiſti, vnaq; es cũ duce magiſtroq; Chriſto, *eum iſthinc nobis concilia*, vt ſiſtat procellam, tempeſtatem cohibeat, maris tumultum ſedet, ijs qui itidem vt nos iniurijs affecti fuere, merita præmia perſoluat, ſiue vt iudiciũ conuertatur in iuſtitiam, ſiue vt iniuriarum authores agnoſcant ſe deliquiſſe, & idoneam contra quam hactenus ab is factum eſt, cantilenam auſpicetur. Oratio.in S. Euthymiũ Epiſcopum.

ASTERIVS EPISCOPVS AMASEE.

Narratio nem in S. Phocam Martyrē.

Nos ergo hic desinentes, Deo saluatori gloriam offeremus, cuius serui fideles tantam sunt gloriā consecuti, vt in omni indigentia, & omni casu, conuenienter *dono quod est eis donatum, conseruis suis benefaciant, idq́, postquam hinc excesserint, & à corpore fuerint separati.* Quorum memoria cum opere quotidie peruadit ciuitates & vicos, vbiq; prædicans benefactorem Dominum.

ANDREAS EPISCOPVS Cretensis.

Oratione de Dormitione Deiparæ virginis.

Beata es in mulieribus, & benedicta in generationibus, benedicta es in cœlis, & glorificata in terra. Te enim grate omnis lingua glorificat, matrem vitæ prædicans. Per te deleta est peccati occasio, transmutata est in letitiam, primæ parentis execratio. Te nequaquā potest habere sepulchrū, Corpus enim Dominicum, non delent ea quæ intereunt, aduersus te non valebunt inferi. Animā enim regiam nō attingunt ea quæ seruiunt cum alijs. Abi ergo in pace. Migra ex ijs, quæ sunt in natura creata mansionibus. *Placa Dn̄m pro communi figmento*, nam quam diu quidem versabaris in terra, te habuit parua terræ portio, *ex quo autem translata es è terra, te vniuersus mundus continet commune propitiatorium.* Supra Heliam in altum extollere, in letitia, in gaudio ineffabili, in æterna luce, vbi est vere viuere, regnum totum lucidum, perpetua Angelorum chorea.

MICHA-

MICHAEL SYNGELVS Hierosolimitanus.

Es igitur Parrisijs diuino & sublimi altari impositus inter eos, qui tecũ coronati sunt medius assistens, benignum Iesum verum Deũ, summũq; Sacerdotem, coronatorem & omnis benignitatis authorem *vniuerso mundo propitium reddens*, quẽ dilexisti, quem prædicasti, per quem (capite truncatus) coronam digne retulisti. Nunc eos, qui in sacram ac venerandam hanc tuam celebritatem & optatissimam memoriam celebres conuentus agunt, laudantes, ac Martyrum præmio dignissimum honorantes, aspicere atq; ijs bene precari, ac *benignum Deum propitium reddere, & precibus compellare velis*, te, maxime ac diuinissime Præsul Martyrum illustrissime, obsecramus, vt à molestia vitæ quę nos circunstat liberare, tyrannidem quæ in nos grassatur tollere, merorẽ quo obsiti sumus repellere, tranquillitatem ac profundam requiem & statum perturbatione vacuum Ecclesijs impartiri dignetur: vt pace constituta, & vna diuinæ religionis concordia, & paritate consilij dominante verus & summus ille pastor, & princeps pacis Christus ab omnibus vnanimiter glorificetur. In vita S. Dionysij Areopagitæ

THEODORVS STVDITES. Ao. 831.

Ego vero miser bono illo patre orbatus, & animo fluctuans, vbi nam consistã? Quomodo praui Dæmonis impetum fugiam, cum eius admoni- Oratione funebri in S. Platonem.

toris ac doctoris copia mihi non adsit? Sed ò diuinum & sacrũ caput *tu me ex alto propitius respicias*, & cadentem erigas, gradientem dirigas; & vna mecum gregem hunc, agas & pascas, quem multis laboribus & sollicitudinibus cõstituisti, vt vestigia tua sequatur, vt diuinorum mandatorũ semitas teneat. Protegas, foueas, & tam magnos quam paruos greges tuos defendens, *eorũ esto propugnator*, sicut tuæ migrationis tempore pollicitus es, vt te propugnatorem, ac defensorem vniuersi coram Deo, & ad Deũ habentes, incolumes permanere possimus, nullis hostibus corporeis, aut incorporeis nobis nocentibus vt neq; timoris causa nos à recta fide vel paululum subtrahamus, neque à diuinis mandatis deuiemus, non deniq; exercitationem ipsam, cui studemus, vllo vnquam tempore negligamus, gratia Christi Iesu Domini nostri.

NICETAS PHILOSOPHVS.

Narratione de inuẽtione reliquia S. Stephani.

Huius ergo gratia, sanctitate, & virtute spiritus nos quoq; omnes digni habeamur, quod fieri potest, Domine pater, Domine fili, Domine paraclete. Trinitas sancta cõsubstantialis & supersubstantialis, *intercessionibus castissimæ Dei matris, & omnium sanctorum*, & ipsius quoq; nostri post te Patroni & defensoris Stephani, ad gloriam & honoré & laudem sancti tui, & adorandi nominis.

IDEM.

Sed

Sed ò par diuinum & beatum. O oculi puri & luminosi, puræ Ecclesiæ & lucidæ per quos eius corpus illuminatur. O vbera diuina & pulchra, tanquam duo fontes è quibus non lactis, sed *viuæ gratiæ emanant curationes.* O manus eorum quibus sunt membra luxata. O paralyticorum genua, pedes claudorum & mutilorum. Omnibus enim facti omnia ad Dei imitationem, *sustẽtatis quidem eos qui concidunt, erigitis autẽ eos qui sunt confracti.* Hæc est quæ à nobis ad vos proficiscitur laudatio, breuis quidem & longe vestris meritis inferior. Sed mihi ignoscite, quod deest orationis, perfecto animi nostri studio & bona voluntate rependentes: & malas corporis nostri habitudines (vt quod sit in vestra positum potestate) tollite, & sic implentes dono Christi, quod est in vobis, ad ipsum dirigite. In vita S. Martyrũ, qui Anargiri vocãtur.

AGATO EPISCOPVS LIPARIS insulæ.

Bene quod huc venisti, vt portus salutaris ad eos, qui pelagi fluctibus periculosis agitamur. Bene quod venisti diuinum spiritus paracleti flumẽ, ex quo veritatis aquæ scaturiunt & pietatis flumina redundent. Veni & animas nostras irriga, affectuum nostrorum feruorem reprime, cordiũ ianuas patefactas gratiarũ tuarum muneribus repleas. *Hoc à te Liparis insula supplex petit*, quam habitare fęliciter voluisti. Vide Iosephi orationem in S. Barnab. Apostolũ.

NICEPHORVS PHILOSOPHVS.

Oratione in Magnũ Anthonitum.

Apoſtolorum autem ſequens doctrinas & traditiones,& eis ſuam vitam ſemper componens, factis germanum confirmauit Martyrium , in eo quod Martyrũ zelum haberet pro pietate,& quotidie ſua moreretur conſcientia , monaſticorũ laborũ diuturna & acerba perpeſſione, quod Martyrica virtute nulla in re eſt abiectius. Omnium ergo ſanctorum & iuſtorum, illorum quidẽ mores, horum vero curſum,aliorum autem actionẽ, ſimul vero omnium ad primum bonum vehemẽtiſſimum & conſtantiſſimum imitatus eſt deſiderium. Quo nunc aperte fruens,*protegas & defendas ò diuinum & ſacrum caput*, *ſacrum gregem, & tuis precibus corrobora* ſceptra pietatis,& manum præbeas piæ potentiæ, mundi curas cum eo participans. Et *intercedas apud Deum aſſiſtens ſine intermiſſione* , pro eo quod oraſti cum eſſes cum ipſo & eius vitæ intereſſes,& mundanam ei conſerues nauem in tuto portu diuinæ tranquillitatis, omnes ſedans turbines & tempeſtates improborum: & obruens inſultus inimicorum , tam eorũ qui ſub oculos cadunt, quam qui non cadunt.

PSELLVS.

Oratione in S. Simeonem Metaphraſtẽ.

Atque hic quidem contactus ò virorum omnium optime & eruditiſſime, ſatis ſuperq; oſtendit puritatem tuam & ſanctitatem. Nã alia quoque tibi ſufficiunt ad accuratiſſimã virtutis conſumma-

ſummationem. *Tu autem ſis mihi propitius*, ſi nō perfecte expoſui omnem virtutem tuam, neq; ex omnibus tuis bonis tibi parem attuli laudationē, nec mihi iraſcaris propter ea quæ ſunt à me prætermiſſa, ſed eorum memineris qui hic ſunt.

PROCOPIVS CARTOPHILAX.

Cum enim temtationum flatus aduerſus ciuitatem ſpirāt, Apoſtoli *Marci ſepulchrum vrbis incolæ circum eunt, & à malis ipſis liberantur.* Imo vero vniuerſa Ægyptus Marcum ipſum magiſtrū, *& adiutorē ſibi aſcribens*, eius in omnibus iis, quæ triſtia contingunt, *auxilium implorat*, & die feſto, quem ſingulis annis honorant, laudes ipſas, velut debitum quoddam, illi offert & multa cum pompa, atq; applauſu exultationeq; & panegyri laudationes ipſas celebrat, diuinumque ipſius Euangelium amplectitur vt tabulas à Deo inſculptas, vel vt rectius dicam, tanquam ipſum Chriſti os veneratur, verbaq; à Deo pronunciata, ab Apoſtoli ore ſe audire arbitratur. Quem Deum & nobis ſacratiſſime doctor & Euangeliſta *propitium reddere ne graueris*, & iis ipſis, quæ moleſta nobis accidūt quibuſq; perturbamur nos ſubleues, quæq; in vita difficilia atq; grauia nobis ſunt, ea facilia reddas, rumpas & chyrographū illud, in quo noſtra crimina ſcripta ſunt. Talē enim ab ipſius Domini lingua poteſtatē accepiſti. Si ligaueris, id quod ligatur, ſolui non poterit, ſi ad commiſerationem

Laudatione in S. Marcum Euangeliſtam.

ac

ac veniā ſpectaueris, vinculum ipſum facile diſſol uetur. Ne deſpicias nos propriorum peccatorum catenis conſtrictos, ſed impera vinculis ipſis, & illa effringentur. Deniq; Eccleſias ipſas pacatas & tranquillas reddas, quas tuis ſermonibus, in fundamento quodam firmo cōſtituiſti, pro illis quippe Domini noſtri ſanguis effuſus eſt, à quo & liberatio profecta fuit, fac vt & nos bonorum cæleſtium participes efficiamur.

IOSEPHVS HVMILIS.

Laudatione in S. Barnabā Apoſtolū.

Tuis igitur precibus Deum ipſum nobis propitium facias, & peccatorum perturbationem, qua vexamur, ſedare velis, quiq; tuum diem feſtum recolimus, nobis omnibus delictorum veniam, & cæleſtis gaudij participationé *tuis orationibus impetres* à Chriſto Ieſu Seruatore noſtro.

PANTALEO DIACONVS.

Encomio in S. Michaelem.

Cum ergo ſuſcipiendum *& maximum patronum, potentemq; defenſorem, & libere & confidenter loquentem interceſſorem apud omnium regem Deum, diuinæ militiæ principē habeamus Michaelē* ò chari patres, & fratres & à Deo collecte cœtus, pie ipſum ſemper omnes vt reuera puriſſimū, in mundis cordibus ſemper magnifice extollamus: verbiſq; letitiæ & ſpiritalis exultationis, vt decet Archangelum, honorificis verbis & laudibus hodie proſequamur, amoreq; & deſiderio ei offeramus & veneremur, qui ardenter concurrimus ad

ſacrum eius feſtum in venerandum eius templũ quod eſt pij nominis, vt affatim colligamus perẽnes eius & ſalutares gratias, *& defenſiones interceßionis.* Eſt enim liberalis ac munificus Dei magnus ille dux exercitus, cum diuiniſſimo & coarchangelo ſuo Gabriele, benedicens, corroborans, gratia implens, letificans & ornans ac decorans corda fidelium, vt qui ſit ſanctis omnibus potentior. Omnes autem laudatores eius eximie à varijs eripit neceſſitatibus: & eos qui in omni loco pie eum inuocauerunt, à periculis tam quæ videntur, quam quæ cadunt ſub intelligentiam, liberat.

S. FVLBERTVS EPISCOPVS.

Quas ergo tibi laudes fragilitas humani generis perſoluet, quæ ſolo tuo commercio recuperandi aditum inuenit? Accipe itaq; quaſcunq; exiles, quaſcunq; meritis tuis impares gratiarum actiones, & cum ſuſceperis vota, *culpas noſtras orando excuſa.* Accipe quod offerimus, *impetra quod rogamus,* excuſa quod timemus: quia nec potiorem meritis inuenimus *quam te ad placãdum iram iudicis,* quæ meruiſti eſſe mater redẽptoris & iudicis. Succurre ergo miſeris, iuua puſillanimes, refoue flebiles, *ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro monachorum choro, exora pro deuoto fœmineo ſexu.* Sentiant omnes tuum leuamen, quicunque deuote celebrant tuum nomen. Sit tibi compaſſio

Sermone de Aſſumptionis Beatæ Mariæ feſto.

passio super afflictis, sit pius affectus super cœlorum peregrinis. Et cum te letantem semper aspicis: *fletus nostros quesumus ipsa ad Deum perferas, eumq́, vt proprium filium pro nobis interpelles.* Nos enim adhuc in terra affligimur, iniurijs lacessimur, opprobrijs afficimur esurimus & sitimus. Tu vero in cęlestibus regnis prælata es cunctis virginum choris, tu agnum quocunq; perrexerit sequeris. Tu in cubiculo regis beatitudinum gemmis margaritis ornata assistis. Tibi thronus regius ab Angelis collocatur in aula æterni regis: teq; ipse rex regum vt matrem veram & decorã sponsam præ omnibus diligens amoris amplexu sibi sociat. Nec mirum si dignetur tibi aggaudere Deus regnans, quem tu paruulum ex te hominẽ natum totiens osculata es in terris. Has ergo tuas fęlicitates possidens, conuertere ad nostrarum miseriarum aspectum. Inter hæc igitur fratres cum toto mentis affectu *beatissimæ virginis nos intercessionibus committamus: omnes eius patrocinia omni nisu imploremus*, vt dum nos supplici eam obsequio frequentamus in terris, ipsa nos sedula prece commendare dignetur in cœlis. Neque enim dubium quæ meruit pro liberandis proferre precium, posse plus omnibus liberatis impendere suffragium. Sed quid nobis prodest hanc interpellare vocibus, nisi etiam humilitatis eius exempla teneamus?

THEODORVS DAPHNOPATVS.

Post

Poſt mortem autem & ſepulturam, vbiq; & in terra, & in mari quotidie tam multa facere, hoc eſt quod maximam adfert admirationem. Vbi enim eſt (dic mihi) corpus Alexãdri? Oſtende mihi, & dic diem in quo deceſſit. Sed non potueris. Pauli autem & præclarum corpus viderit, qui ad maxime regiam venerit ciuitatem, & illuſtrẽ eius mortis diem, vniuerſus orbis terræ celebrat. Et res quidem illius etiam ſui ignorãt, res autem huius ſciunt etiam Barbari. Et Chriſti ſerui ſepulchrũ eſt regijs atrijs ſplendidius. Nam ipſe quoq; qui eſt indutus purpura, vadit corpus illius complexurus, & faſtu depoſito *conſiſtit orans mortuum, vt eius curam gerat apud Deum.* Et tabernaculorũ effectoris & piſcatoris & mortui, *tanquam defenſoris eget is,* qui redimitus diademate eſt. Id q; videris non ſolum Romæ fieri, ſed etiam Conſtantinopoli. Etenim hic quoq; magnum Conſtantinum, ſe magno honore eſſe affecturum exiſtimauit filius, ſi eum deponeret in veſtibulis piſcatoris. Oratione de laudibus S. Pauli Apoſtoli ex Chryſoſtom. ſunt hæc deſumpta

HILDEBERTVS EPISCOPVS Turonenſis. vixit Ao. 1120.

In regno quidem nullus in errore autem omnis homo ſibi conſortem quærit. Quod vtiq; fit quia cuilibet inuentioni hominũ conſenſu multitudinis auctoritas accedit. In ortu ſuo ſuffocaretur arriana impietas, niſi tutores qui natam educarent inueniret. Donati ſciſma premeretur æterno Epiſto. 43

no ſilentio,ſi perſonam infeciſſet non turbam. Tu quoq; tanquam doleas obliuione ſuppreſſam vigilantij peruerſitatem ſuſcitare eum perhiberis & tibi ſocios adhibere,quorũ cultu plantatio quã non plantauit pater meus cœleſtis, ſicca dudum reuireſcat. Ais enim vt aiunt quid in iſta vita geratur,ſanctorum animas ignorare atq; ideo ocioſas eſſe letanias, quibus oramus vt pro nobis orent ſancti quia nec audiunt nos nec nouere quid agatur apud nos:Qua videlicet ſanctorum iniuria eo grauius anima mea vulneratur, quod quibuſdã dixiſſe diceris me idipſum ſentire idipſum tenere & docere. In cœlo eſt iudex meus,& conſcius meus, quem nec intuentem fallere nec euadere poſſum iudicantẽ. Coram eo loquor.Nouit ille quia nunquam in tantum etiam defectum vt id dixerim vel aliquando ſenſerim quod inſenſate ſentitur,quod periculoſe creditur, quod caſualiter docetur. Ego quidem ſilere decreueram & te quaſi nõ viderim præterire, legerã enim illud Apoſtoli gloria noſtra hæc eſt teſtimoniũ cõſcientiæ noſtræ legeram & Gregorium ad palladium ſic ſcribentem: Inter verba laudantium vel vituperantiũ ad mentem ſemper eſt recurrendum .Et ſi in ea non inuenitur bonum quod de nobis dicitur, magna triſticia generari debet. Et rurſum ſi in ea non inuenitur malum quod de nobis homines loquuntur in magnam debemus leticiam proſilire. Item ſi nobis teſtis eſt in cœlo,ſi in corde, dimitte ſtultos

tos foris loqui quod volunt. Cæterum quia suggestum mihi est alios quoque atramento eodem respersos, assumpsi & me expertem nouitatis huius ostendere,& refellere professores. Nōdum implet Episcopum qui suorum censor ad vitia silet aliena. Huiusmodi professio delicti arguitur, quotiens non arguit delinquentem. Sacerdotis enim est satagere, ne solus Deo placeat sed socius. Vnde peccare conuincitur nisi bonū quod in seipso diligit, in suo etiam diligat, inimico. Hinc est quod ego frater mi desidero bonas fieri vias tuas, & studia tua, nec in eorum reperiri numero quorū sermo vt cancer serpit qui narrant fabulationes, sed non vt lex tua domine. Quibus profecto fabulationibus memorata iam peruersitas accedit, cui resistere, Ecclesiæ constat consuetudinem, refragari auctoritatem, deesse rationē. Quod enim vniuersalis Ecclesia letanijs insistat quod in lachrymis, & spiritu contribulato dicere consueuerit sancta Maria ora pro nobis, nec indoctus ignorat cū audit. Nos tamen veritati nequaquā proponimus consuetudinem scientes quia nil debetur consuetudini cui veritas aduersatur. Vnde & in tertio libro de baptismo paruulorum sic Augustinus ait, veritate manifestata cedat consuetudo veritati. Item consuetudinē rationi & veritati nemo pręponat quam consuetudinem ratio & veritas semper excludit. De eodem Cyprianus. Quælibet consuetudo quantumuis vetusta, quantūuis vulgata

veritati omnino est postponenda,& vsus qui veritati est contrarius abolendus. Cæterum cum veritati consuetudo concurrit,exhibendam consuetudini perhibeo reuerentiam, & oportere longioré vsum immobilé custodiri de quo sic Augustinus in quarto libro de baptismo ait. Hoc plane verũ est quia ratio & veritas consuetudini præponenda est, sed cum consuetudini veritas suffragatur nihil oportet firmius retineri. Fortassis auté reuelatum est tibi desuper Ecclesiam Christi vsque ad tua desipuisse tempora, atq; apostolicum illud in te completum. Si quid aliter sapitis id quoq; nobis Deus reuelabit. Felix qui solus Ecclesiæ factus es cœlestium interpres secretorum. Credebã tantummodo Paulum raptum in paradiso & audisse arcana verba quæ non licet homini loqui.
Forsan raptus es illuc & inde huc attulisti verba quæ non licet homini loqui. Sed quod signũ osté dis nobis vt credamus tibi. Quis sanctorum tuæ huic astipulatur doctrinę. Nunquid est tibi auctoritas qua mihi silentiũ imponas. Sentio enim sentio,& dico animas sanctorum iam cum Christo regnantes scire quid agatur à nobis, & easdem cũ oportet & expedit orare pro nobis. Non loquor ex spiritu meo. Infirmum & debile testimonium quisq; sibi. Habeo mecũ plenas auctoritatis animas quas & meritum pastores animarum fecit,& spiritus Dei omnem docuit veritatem. Deceperit me vigilantia tua nisi Gregorium legeris in duode-

decimo libro ſuper moralia hijs ſcribentē verbis.
Sicut hi qui adhuc viuentes ſunt, mortuorum a-
nimas quo loco habeātur ignorant: ita mortui vī
ta in carne viuentium poſtea qualiter diſponatur
neſciunt,quia vita ſpiritus longe eſt à vita carnis.
Et ſicut corporea & incorporea diuerſa ſunt gene
re,ita etiam diſtincta cognitione. Quod tamē de
animabus ſanctis ſentiendum non eſt, quia quæ
intus claritatem omnipotentis Dei vident, nullo
modo credendum eſt quod ſit foris aliquid quod
ignorent.Item Gregorius in moralibus Sanctorū
ſpiritus interius exteriuſq; diſtenti ſunt, quia ip-
ſum fontem ſcientię contemplantur. Quid enim
de hijs quæ ſcienda ſunt neſciunt, qui ſcientē om
nia ſciunt? Eorum itaq; ſcientia cōparatione no
ſtra valde dilatata eſt, ſed tamen cōparatione di-
uinæ ſcientiæ anguſta, ſicut & ſpiritus mortuorū
comparatione quidem noſtrorum corporū ſpiri-
tus ſunt,ſed comparatione ſummi & incircūſcrip
ti ſpiritus corpus. Poſt hāc itaq; Gregorij aſſertio-
nem qua temeritate dicis ſpiritus iuſtorum omnī
no ignorare quid in hac vita agatur, niſi maiore
dementia dixeris quia ſpiritibus iuſtorum nulla
poſt hanc omnino ſit vita. Quod de illis & ſen[illegible]
re impium eſt,& hæreticū atteſtari. In hanc enim
prolabi inſaniam ſpem cœleſtiū euacuat præmio
rum,& ei miſerię addicit de qua Apoſtolus ſic ait.
Si tantum in hac vita ſperantes ſumus, miſerabi-
liores ſumus omnibus hominibus. Porro quod

pro interpellantibus eędem animę interpellãt adqigilantium cuius pediſſequam feciſti animã tuã. Hieronymus ſcribens ijs eum redarguit verbis. Dicis in libello tuo quod dũ viuimus mutuo orare poſſumus, poſtquã autẽ mortui fuerimus nullius pro alio exaudienda eſt oratio preſertim cum Martyres vltionem ſui ſanguinis obſecrantes impetrare nequiuerint. Si Apoſtoli & Martyres in corpore adhuc conſtituti poſſunt orare pro cæteris quando adhuc de ſe debent eſſe ſolliciti, quanto magis poſt coronas victorias & triũphos, vnus homo Moyſes ſexcentis milibus armatorum impetrat à Deo veniam, & Stephanus imitator Dei ſui & primus Martyr in Chriſto perſecutoribus veniam deprecatur,& poſtquam cum Chriſto eſſe cœperint, minus valebunt? Paulus Apoſtolus ducẽtas ſeptuaginta ſex ſibi dicit in naui animas condonatas, & poſtquã reſolutus cœperit eſſe cũ Chriſto tunc ora clauſurus eſt,& pro ijs qui in toto orbe ad ſuum Euangelium crediderint, mutire nõ poterit? Præterea Gregorius in homelia ſuper. Si quis vult venire poſt me, inſcientiam tuam his confutat verbis. Aſſunt defenſores noſtri Martyres ſancti rogari volũt atq; vt ita dixerim quærũt vt quærantur. Hos adiutores veſtris orationibus quærite, hos protectores veſtri reatus inuenite.

His auctoritatibus conſultis negare nõ potes animas bonorum vel ſcire quid agatur à viuis, vel cũ oportet & expedit orare pro viuis. Pręterea nimis

caliga

caligauerunt oculi tui ſi non vides rationẽ quoq; tuam Hieronymi, Gregorij teſtimonio refragari. Nulli enim dubiũ cæteris virtutibus eminere charitatem. In charitate nimirum tota lex pendet & Prophetę. Cum iuxta paulũ euacuentur prophetię, cum linguę ceſſent, cũ ſcientia deſtruitur, charitas nunquam excidit. Cum teſte Propheta cœli ſicut veſtimentum veteraſcant, cum terra veritatis aſſertione tranſeat, charitas nunquam excidit. Poſtremo excidit fides, excidit ſpes, charitas nunquam excidit. Vnde cum præmiſiſſet Apoſtolus. Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc ſubiunxit dicens: Maior autem horũ eſt charitas. Ideo vtiq; maior quia cum fides euacuetur & ſpes charitas manet inæternum. Manet inquam non tamen eo artata modulo quo diligitur in hac vita proximus & Deus, ſed tanto maior quanto plenius poſt hanc vitam & in Deo cognoſcitur proximus, & in ſeipſo Deus. Qui enim plus metent quam ſeminauerũt pluſquam dilexerunt diligẽt, quia ex debito dilectioni additur, cum meritum præmio ſuperatur, hoc charitatis incrementũ Iſayas conſiderabat cum dicebat. Dixit Dñs cuius ignis eſt in Syon & caminus in Hieruſalem. Noſti frater ſpeculam Syon, Hieruſalem vero viſionem pacis interpretari. Etquidem ſanctorum animæ dum mortalitatis huius circumferunt corpus in Syon eſſe dicuntur, ſcilicet à longe ſpeculãtes quã ſperant & præſtolãtur mercedem. Sunt autẽ eædẽ

in Hierusalē quando sarcina carnis deposita facie ad faciem vident mutantes imperfectum plenitudini, spem muneri, imaginem veritati. In Syon illa erat Apostolus cum dicebat. Videmus nūc per speculum in ænigmate hanc sibi Hierusalem promittebat cum summittebat. Tunc autem facie ad faciem. Item idem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Est igitur ignis in Syon & caminus in Hierusalem, quia feruor charitatis modicus est in hac vita, plurimꝰ in futura. In hac ignis Deus, in futura caminus. Hic portio, ibi plenitudo. Veniet enim quod perfectum est, & euacuabitur quod ex parte est. Si tamē id verum est quod asseris, animas sanctorum quos neq; Angeli, neq; principatus, neq; potestates, neq; instantia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profundum, neq; aliqua creatura potuit separare à charitate Christi, charitatē simul exuūt & carnē. Et qui propter nomen Dñi mortificati sunt tota die, atq; ęstimati sunt sicut oues occisionis, tūc desinent diligere Deum cum præcipue cognoscunt quod diligendus sit etiam inimicus propter Deū. Cum enim teste Gregorio nihil foris sit quod ignorent animæ sanctorum, quæ scientem omnia sciunt, quis dicet ab eis proximum diligi, quę proximi clamores audiunt & nunquam exaudiunt, pulsari sciunt & aperiri nesciunt, angustias vidēt, & viscera claudunt. Quid charitati & eis quibus afflictorum gemitus nullam extorquent cōpun-

ctio

ctionem, nullum lachrymæ momentum, quæ inter cęteras supplicationes principatum sibi vendicāt impetrandi. Quia igitur deest eis dilectio proximi, deest & Dei. Neq; enim vel sine Deo proximus diligi potest, vel sine proximo Deus. Testatur hoc Ioannes his scribens verbis. Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem nō videt quomodo potest diligere? Quisquis ergo sanctis animabus alterum subtrahit neutrū derelinquit. Satis iam nisi fallor animaduertis quo tua euagetur doctrina, quam luculentam bibis aquam, ibi charitatem excidere somnians vbi charitas nunquam excidit, vbi gaudiū est pro peccatoribus cōuersis, vbi sicut pro se sic laudant Deum pro omnibus, vbi Deus omnia in omnibus. Resipisce igitur & si peccatum non inueneris apud te quo necesse sit sanctos orare pro te, noli insultare nobis orantibus, vt orent sancti pro nobis. Amen.

S. BERNARDVS ABBAS.

Tria sunt quę in festiuitatibus sanctorum vigilanter considerare debemus, *auxilium sancti*, exemplum eius, confusionem nostram. Auxilium eius, quia qui potens in terra. *potentior est in cœlo ante faciem Domini Dei sui.* Si enim dum hic viueret misertus est peccatoribus, & orauit pro eis, nunc tanto amplius quāto verius agnoscit miserias nostras, *orat pro nobis patrē*, quia beata illa patria charitatē eius nō immutauit, sed augmentauit. Neq; (Sermone in Vigilia Apost. Petri & Pau.)

enim quia impassibilis omnino, ideo & incõpassibilis factus est, sed nunc potius induit sibi viscera misericordiæ, cum ante fontem misericordiæ existit. Est & alia causa quæ magis vrget sanctos vt solliciti sint de nobis, quia iuxta vocem Apostoli Deus prouidet pro nobis, ne sine nobis consumẽtur, sicut ait sanctus Dauid. Me expectãt iusti donec retribuas mihi.

IDEM.

Sermone .5. in festi. omnium Sanctorũ.

Sane vt eam gloriam nobis sperare liceat, & ad tantam beatitudinem aspirare, summopere nobis *desideranda sunt suffragia quoq; sanctorũ*, vt quod possibilitas nostra nõ obtinet *eorũ nobis intercessione donetur*. Miseremini mei miseremini mei, saltem vos amici mei. Nostis ipsi periculum nostrũ, nostis figmentum nostrum, nestis ignorantiam nostram, & dolos aduersariorum, nostis eorũ impetus & nostram fragilitatẽ. Vobis enim loquor qui in eadem temtatione fuistis, qui eosdem superastis conflictus, eosdem laqueos euasistis, qui didicistis ex his quæ passi estis compassionem. Confido equidẽ & de Angelis quod nec ipsi suã visitare speciem dedignentur, maxime quia scriptum est. Visitabis speciem tuam, & non peccabis. Cęterum & si de eis mihi arbitror pręsumendum ob spiritalis substantię & rationalis formæ similitudinem ampliori tamẽ fiducia ad eos mihi reor vtendũ, quos habere me nouerim & in ipsa humanitate cõsortes, vt oporteat eos familiarius & specialius

cialius misereri ossi de ossibus suis, & carni de carne sua. Deniq; transeũtes ex hoc mundo ad patrẽ, sancta nobis pignora reliquerũt. Apud nos siquidem corpora eorum in pace sepulta sunt, quorũ nomina viuent in sæculũ, id est, quorum nunquã gloria sepelitur. Absit à vobis animę sanctæ, Ægyptia illa crudelitas pincernæ Pharaonis, qui in gradũ pristinum restitutus, statim oblitus est Ioseph sancti, qui in carcere tenebatur. Non enim erant vnius capitis membra, nec aliqua pars fideli cum infideli, aut vlla societas Israhelitæ ad Ægyptiũ, non plus quam luci ad tenebras. Interpretatur enim Ægyptus tenebrę, Israhel vero videns Deum atq; ideo vbicunq; Israhel erat, lux erat. Non sic noster Iesus crucifixi secum latronis potuit obliuisci, factum est vtique quod promissum est, ipsa die qua compassus est, & conregnauit. Nos quoq; si non sumus ipsius capitis membra cuius & sancti, vnde eis tam solennibus hodie votis & tanto gratulamur affectu? Cæterum qui dixit: Si glorificatur vnum membrum, congaudent omnia mẽbra: hoc quoque nihilominus ait, quod si patitur vnum membrũ, compatiuntur omnia membra. Hæc igitur nostra & eorum cohærentia est vt nos congratulemur eis, *ipsi compatiantur nobis*, nos deuota meditatione regnemus in eis, *ipsi in nobis & pro nobis militent pia interuentione.* Nec est quod de eorum pia erga nos sollicitudine dubitemus, quãdoquidẽ nõ cõsummãdi sunt sine nobis, sicut

ſupra meminimus, expectant nos vſq; dum retribuatur nobis: vt videlicet in nouiſſimo die magnæ feſtiuitatis omnia ſimul in virum perfectũ cũ ſuo tã excelſo capite mẽbra concurrant, & laudetur cũ hæreditate ſua Ieſus Chriſtus Dñs noſter.

IDEM.

Epiſto. ad fratres Hybernenſes

Itaq; & pium eſt Malachiam deflere defunctũ, & piũ magis Malachiæ congaudere viuenti. Nũquid non viuit? Vtiq; & beate. Viſus eſt oculis inſipiẽtium mori, ille autem eſt in pace. Dehinc etiã vtilitatis propriæ conſideratio exultandum nobis ſuggerit & letandum, *quod tã potens ſuos patronus ad cœleſtem curiam, tam fidelis præceſſerit aduocatus* cuius & feruẽtiſſima charitas obliuiſci nequeat filiorũ, & probata ſanctitas *obtineat gratiam apud Deum*. Quis enim nunc Malachiam ſanctum aut minus poſſe prodeſſe, aut minus ſuos diligere audeat ſuſpicari? Profecto cum diligeretur prius, certiora nunc ſuæ dilectionis à Deo capit experimẽta: & cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos. *Abſit autem vt tua nunc ò anima ſancta minus efficax æſtimetur oratio, quãdo præſenti viuidius ſupplicare eſt maieſtati*, nec iam in fide ambulas, ſed in ſpecie regnas. Abſit vt imminuta nedum exinanita tua illa tam operoſa charitas reputetur, cũ ad fontem ipſum charitatis æternæ procũbis pleno hauriens ore, cuius & ipſa prius ſtillicidia ſitiebas. Non potuit morti cedere charitas fortis vt mors, imo & morte fortior ipſa. Nam & decedẽs

non

nõ erat immemor veſtri, affectuoſius vos cõmen dans Deo.

IDEM.

Se dicunt, Eccleſiam, ſed contradicunt ei qui dicunt. Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. Ita ne lapidem de monte abſciſſũ ſiue manibus, montem factum, implentem mundum, veſtris creditis incluſũ antris? Habet & ſemper habebit integram Chriſtus hæreditaté ſuam & poſſeſſionem ſuam, terminos terræ. Se potius ſubtrahunt huic magnæ hæreditati, qui Chriſto illã conãtur detrahere. Videte detractores, videte canes. Irrident nos quod baptiſamus infantes, quod oramus pro mortuis, *quod ſanctorum ſuffragia poſtulamus*. In omni genere hominum atq; in vtroq; ſexu feſtinant proſcribere Chriſtum, in adultis, & paruulis, in viuis & mortuis. Hinc quidem infantibus ex impoſſibilitate naturæ, inde vero adultis ex difficultate continentiæ præſcribentes. Porro mortuos viuentium fraudantes auxilijs, viuentes nihilominus *ſanctorum qui deceſſerunt ſuffragijs ſpoliantes*. Sermone 66 in Cã.

BERENGOSIVS ABBAS. to 112.

Quia iam tempus imminet, quo ſermonem iſtum ad finem ducamus, dignum eſt vt eorũdem *Martyrum Chriſti præſidia ſine intermiſſione quæramus*, quatenus meritis ipſorum intercedentibus, charitas illa quæ vniuerſa cooperit delicta, vſque in finem in nobis regnet inuicta. Sermone 2. de ſanctis Marty.

Idem

IDEM.

Sermone 1. de Ecclesiæ dedicatione.

Quoties festiuis Sanctorum natalicijs, debito honore rite celebratis, in Domino gloriamur: toties *ipsorum precibus & meritis adiuti larga benedictionis gratia creatoris nostri perfundimur.* Quicquid enim laudis & honoris militibus regis impenditur, totum ad gloriam regis, cuius sceptro milites insigniti sunt titulatur. Nec dubium, quin eos semper *habeamus patrocinantes in cœlis*, quorum celebritates, pie deuotionis studio gerimus in terris. Si enim noster spiritus, necdum carnis materia exutus, & tamen dilectionis geminæ feruore, interdum ad astra libratus, preces Domino pro suis dilectoribus nititur effundere, vtique præstantius credendum est Sanctorum animas, summæ dilectionis plenitudine feruidas, suis in solennitatibus, ad sui corporis pignora fouentes descendere, *suorumq; pro salute fidelium intercedere*, ac debitæ retributionis donatiuum suis veneratoribus impendere.

THEOFRIDVS ABBAS. c. 1124.

Sermone 2. de veneratione Sanctorū

Igitur in sanctis suis laudemus Dominum, qui est gloria & virtus sanctorum, vt per eius misericordiam, ad eorum peruenire valeamus consortium. Tu memoria iustorum, iustitiæ auctorem, in meritis sanctorum, sanctitatis magnificemus largitorem: digna enim memoria iustorum erit cū laudibus, quibus delectetur Deus eorum & Dn̄s, *vt per eorum intercessionem, nostris misereatur excessibus.*

cessibus. Exemplo fidelis Moysi sunt *inter nos & Deum mediatores positi*, vt qui per nostra despicimur merita cum Phariseo, *per illorũ intercessionẽ iustificemur* cum Publicano. Credimus eos apud Deum multa posse, cuius dilectioni nihil in hoc mundo præposuere. Non suam, sed cœlestis volũtatem patris in omnibus adimplentes, Iesu merito & dici & esse meruerunt fratres & sorores. Quid apud Deum eorum possint animæ, artus exanimatorum corporum ostendunt quotidie. Si quid forte natura negat, vel improuisus casus inhumanis debilitat, ad eorum sepulchra clementia diuina restaurat.

PETRVS EPISCOPVS Ostiensis.

vixit An. 1050.

Vnde considerandũ est fratres mei, quantæ deuotionis instantia beati Ioãnis flagitare *debeamus auxilium*, quem sibimet interuentorem & ipsi Apostoli petierunt. *Quantum apud iustum iudicẽ pro peccatoribus poterit*, qui & pro ipsis cœlestis curiæ senatoribus interuenit? Et qui aduocatus factus est summis, *quã humiliter implorandus est à minimis?* (Sermone 1. de S. Ioanne. Euã gelista.)

IDEM.

Quicquid de te à mortali homine dicitur, celsitudinis tuæ meritis non æquatur. Quam enim excellens gratia super Angelos eleuat: ad eius digne efferenda præconia humana fragilitas nõ aspirat. Rogamus te clementissima ipsius pietatis & misericor- (Sermone 2. de Natiuit. beatæ Mariæ.)

ſericordiæ mater, vt qui tuæ laudis inſignia frequentare gaudemus in terris, *tuis interceßionibus auxilium habere mereamur in cœlis.*

S. AMADEVS EPIS. Lauſanenſis.

Ergo redeamus ad nos,& culpas fletibus diluamus. *Rogemus matrem pietatis* per arcana gaudij, & ineffabiles amores, quos ſingulari priuilegio meruit, vt maternæ pietatis affectum nobis impẽdat,& *pro noſtris exceßibus apud proprium intercedat filium*,qui cum patre & ſpiritu ſancto,& çe.

Homil. 4. de laudib. beatæ Mariæ.

IDEM.

Eleuata igitur cũ vocibus exultationis & laudis,prima poſt Deũ ſuper omnes cœli genas in ſede gloriæ collocatur, Deũ & hominem in vtraq; natura,quanto cęteris clarius tanto ardentius vniuerſis,mentis & carnis oculis contẽplatur. Ex inde humano generi charitate inenarrabili condeſcendens,& illos miſericordiſſimos oculos,quibus cœlũ illuſtratur,ad nos conuertens communẽ *pro clero & populo, & vtroq; ſexu, pro viuis quoq; ac defunctis leuat orationem.* Adeſt huc de cœlo glorioſiſſima,& *prece potẽtiſſima*,propellẽs omne quod nociuũ,& conferens omne quod bonũ eſt, *cunctis ex corde rogantibus* ſe munimen tribuit. Memor quippe quo fructu effecta eſt mater redẽptoris,libentiſſime ſuſcipit cuiuſlibet preces peccatoris,& pro vniuerſo reatu pœnitentiũ *apud propriũ filiũ intercedit.*

Homil. 7. de eiſdem

FINIS.

Index Authorum, quos

Deus iuxta Pauli doctrinam, Ecclesiæ dedit, Doctores & Pastores, in ædificationem corporis Christi, vt non simus sicut paruuli fluctuantes, & circũferamur omni vento doctrinæ, è quorum libris præsens est collecta assertio.

A

Abdias Discipulus Christi.
Acindinus Martyr, Vixit anno 329.
Adrianus primus, Vixit anno 802.
Agapetus Anachoreta, anno 380.
Agato Episcopus Liparensis, anno 509.
Ahia Propheta.
Alexander Cyprius, anno 500.
Ambrosius Episcopus, anno 370.
Amadeus Episcopus, anno 1120.
Amos Episcopus Hierosolymitanus, circa annum 610.
Anastasia Martyr, anno 289.
Andreas Episcopus cretensis.
Anthonius Magnus, anno 320.
Anthoninus Episcopus Constantiniensis, anno 456.
Apollo Ascæta, anno 370.
Arethas Episcopus Cæsariensis.
Arnobius Presbyter, anno 380.
Asterius Episcopus, Amaseæ.
Athanasius Episcopus, anno 334.
Augustinus Episcopus, anno 425.
Aurelianus, anno 160.
Aurelius Prudentius, anno 391.

Ani-

Esaias

FINIS.



Index eorum quæ notatu digna in hoc opere tractantur.

A

Mor-

SANCTA PROBIS PAX EST.

